

DEcimonono illam veram
 sponsam Christi esse dici-
 mus, cui ceteræ omnes
 pudoris, & honestatis,
 præminentix item, & di-
 gnitatis, honorificentissimum & ve-
 rissimum testimonium reddunt, at-
 que reddiderunt semper. *Vna est co-
 lumba mea, perfecta mea: vna est matris
 sue, inquit scriptura, electa genitricis
 sue. Viderunt eam filia, & beatissimam
 predicauerunt: regina, & concubina, &
 laudauerunt eam. Vt igitur eas Eccle-
 sias, quarum reges atque principes
 publicè spectante orbe terrarum, ex
 eo tempore, ex quo fidem recepe-
 runt Christianam, ad sedis Apostoli-
 cæ pedes obedientiam atque subie-
 ctionem suam, iuxta Prophetarum
 prædictiones, deferunt ac detulerunt
 semper, prætermittamus. Et venient
 ad te, inquit Isaias, cur vi filij eorum, qui
 humiliauerunt te, & adorabunt vestigia
 pedum tuorum omnes, qui detrahebant ti-
 bi, & vocabunt te ciuitatem domini, Sion
 sancti Israel. Et, erunt Reges nutrices tui,
 & Regina nutrices tue, vultu in terra de-
 misso*

Cant. 2.


Isaia 60.

Isaia 49.

*misso laudabunt te, & puluerem pedum
 tuorum lingent. Et scies quia ego Domi-
 nus, super quo non confundentur, qui ex-
 pectant eum. Ecce dabo, inquit Ioannes,
 de Synagoga Sathana, qui dicunt se Iu-
 daos esse & non sunt, sed mentiuntur. Ec-
 ce faciam illos ut veniant, & adorent an-
 te pedes tuos, & scient quia ego dilexi te,
 quoniam seruasti verbum patientiæ meæ;
 & ego seruabo te ab hora tentationis qua
 venturæ est in orbem vniuersum, tentare
 habitantes in terra. Ad Austrum nos
 reframus, quanti que Australes Ec-
 clesiæ fecerunt semper Romanam
 Ecclesiam paucis videamus. Vbi in-
 primis inter præcipuas Aphricæ Ec-
 clesiæ occurrit celebris illa Cartha-
 ginensis, quæ Numidicis, & Maurita-
 nicis inuigilabat; & qui huic tanta
 cum laude præfuit fortissimus mar-
 tyr Cyprianus: Hic profitetur Cathe-
 dram Petri, super quem à domino æ-
 dificata fuit Ecclesia, principalem ef-
 se, vnde vnitas sacerdotalis exorta
 est, cuius fides Apostolo prædicante
 laudata est, & ad quam perfidia non
 possit habere accessum. Et alibi: Deus
 vnus*

Apo. 3.

Rom. 1.



110-411

Elogans D. Hieronimi de
Carthagine Elogium folio 186

et alia doctorum Silla. vide. l. viij

E. V. X. I. X. 15.

STANISLAI

SOCOLO

VII, SERENISSIMI

REGIS POLONIAE THEO-

LOGI, CONCIONES QUATVOR

apud eiusdem Maieſtatem habitæ, præſen-

ti huic nostro ſæculo imprimis

accommodatæ.

- I. *Epithalamion Episcopi, cum sua sponsa Ecclesia, siue de Consecratione Episcopi, in qua ritus, vetustas, mysteria & vsus Consecrationis Episcopi expliuntur.*
- II. *Pro cultu & adoratione Iesu Christi in Eucharistiæ Sacramento.*
- III. *De ultimo excidio Hierosolymitano*
- III. *De vestitu hæreticorum, & fructu hæreseôn.*



COLONIAE,

Apud Maternum Cholinum

Anno M. D. LXXXIII.

Cum gratia & Privileg. Caesar. Maieſt.

B 411

HOSE E II.

Sponsabo te mihi in sempiternum:
& spōsabo te mihi in iustitia, & iudicio, & in misericordia, & in miserationibus : & sponsabo te mihi in fide, & scies quia ego Dominus.



1920 - 2579

Est. XXIX 12

(5 hll)

REVERENDISSIMO
DOMINO, D. IOANNI AN-
DREAE CALIGARIO, EPISCOPO

*Brittonorensi, ad Serenissimum Step-
hanum Polonorum Regem, &c.*

Nuncio Apostolico.

STANISLAVS SOCOLOVI-
us Pacem & Gaudium.



*PROFICIScenti mihi
VVarsovia, ac in hoc
ocium, quod mihi be-
nignissimus DEVS
per munificum Regē,
benignè ac liberali-
ter comparavit, post
tot belli, Aula, lon-
gissimarum peregrinationum iactatio-
nes, me referenti, tuamq; dexteram exos-
culari volenti: multa tu mecum de multis,
ut soles, humanissimè locutus es: ulti-
mum illud, quæ tua est summa pietas, ac
decoris domini incredibilis zelus,
me monuisti, ne hoc meum qualecunque
talentum, more serui nequam, sub terra*

EPISTOLA

*absconderem, sed potius illo, qualecunque
 esset, rem Domino, ac patri familias meo
 quærerem. Recepi me omnia, quantum pos-
 sem, facturum, quatum sanctissime mo-
 nebas: ac dum alij aurum, argentum, pre-
 tiosum lapidem, as, hyacinthum, purpurā,
 coccumque bis tinctum, & bissum, cedros
 item, & id genus aliud preciosa materia,
 ad decus & ornamentum tabernaculi do-
 mini, vestimentique Sacerdotalis, promp-
 tē & munificē conferunt: dixi me quoque,
 vel pilos caprarum, atque pelles apporta-
 turum. Cuius mea obedientia, ac data fidei
 principium dare volui ab illo ipso sermone,
 quem in augustissima illa prima inau-
 gurationis tuae Panegyri, presente Rege,
 Senatu, ac uniuersis Comitibus, de ritu, my-
 sterijs, vetustate, vsu Consecrationis Epi-
 scopi, tota denique dignitate, auctoritate,
 ac functione Pontificali habui. quem tum
 quidem, proratione temporis, breuiter &
 quasi in compendio explicauit: nunc autem
 multis sententijs quasi floribus quibusdā,
 antiquissimorum & Sanctissimorum Pa-
 trum aspersum, ac veluti conditum, ad ei-
 us primum parentem & auctorem (nam
 ego nutricis tantum & alumni partes su-
 stineo)*

DEDICATORIA.

*Stineo) signum & testimonium cum mea
 incredibilis erga te obseruantia, tum recte
 & honeste dispensati otij mitto. Tu si dig-
 num indicabis, alijs legendum trades: qui
 si non re & maturitate, nouitate certe ar-
 gumenti se commendare poterit. Et contu-
 lerunt quidem alij ad hoc opusculum exor-
 nandum verba, alij sententias, alij argu-
 menta: tu vitæ illa tua præstanti ac verè
 Pontificia, exemplum & formam eius ip-
 sius Pontificis, quem Sancti Patres suis
 pulcherrimis depingunt coloribus, nobis
 representa. Cuius quidem rei non initia
 et inchoationes quasdam obscuras, sed per-
 fecta, & consummata quædam specimina
 nobis edidisti. Quis enim te, aut vitæ ho-
 nestate & sanctitate innocentior, aut de-
 uotione, ac cultu diuino ardentior? quis in
 omnibus periculis ac discriminibus, pro Re-
 ligione Christiana subeundis audentior?
 quis in laboribus sustinendis, in ista tua
 affecta valetudine firmior? quis in depre-
 hendendis technis, & insidijs inimicorum
 Dei sagacior ac circumspectior? quis in om-
 ni retinenda veteri disciplina vigilantior
 quis in commonendis Principibus pruden-
 tior, simul ac liberior? quis in exornandis,*

DEDICATORIA

ac commendandis bonis, & Ecclesia Dei dignis viris, magis prolixus, magis munificus? quis in admittendis & audiendis omnibus magis humanus & affabilis? atqui hoc est nostrarum, vel tuarum potius Nuptiarum argumentum, hac sententia: quo quidem nomine te omnes amamus, omnes suspicimus, omnes tanquam hominem quendam diuinum cœlitus in hanc Prouinciam demissum admiramur. Certet igitur exemplum cum regula, facta cum dictis, Episcopus cum forma & specie Episcopi. quod cum abunde sine omni monitore tua sponte facias, quid aliud restat: nisi ut quam diutissime felix & incolumis, honori diuino, Ecclesia utilitati, nostrum omnium instructioni uiuas? SOCOLOVII autem tui, cum apud te ipsum, tum apud utrumque, Regem cœlestem inquam, & hunc nostrum in terra sancte & pie versantem STEPHANVM, aliosq; viros bonos, nunquam obliuiscaris. Utinam nobis diutius nostro ocio perfrui liceat. Vale Antistes optime & vigilantissime. Cracouia decimasexta Aprilis, Anno Domini 1580.

STANISLAI SOCO-
LOVII DE CONSECRATIONE EPISCOPI

Sermo.



IN AVGVRATIONE
ni atq; consecratio-
ni Divini Hierackæ
inter sumus, magni
que arcani Sacra-
mēta oculis nostris
subijci cernimus.

*V*ideo autem vos lo

qui, quamvis taceatis, illudque à me expe-
ctare, dum, quid tandem sibi velint hæc
mysteria, quia hæ ipsa tam prolixa & mul-
tiplices Ceremonia, vobis explico. quæ in
re non ita quidem libenter & cupide, quã
necessario vobis morem gerendum esse du-
xi. Non libenter quidem: quod id à maio-
ribus nostris Sanctissimis viris in eo myste-
riorum genere palam & publicè factita-
tum non sit. Quod prohibitum etiam à
multis, ne fiat: quod hæc diuina Sacramē-
ta arcano silentio sanctius & augustius

coluntur: quòd demique res tanti momenti breuiter explicari non possit, volumineque potius integro, quam uno breui Sermone, opus habeat. Necessario tamen, ne silentium locum calumnia det, ne quod lucem fugit, tenebra esse existimetur: ne ea quae sacra sunt, dum non intelliguntur, prophana esse putentur: praesertim in ea eorum hominum multitudine: qui ea omnia, quae ignorant, blasphemant: quae autem naturaliter, ut bruta animalia, norunt, in his corrumpuntur. Nuptia igitur istae sunt Sponsi & Sponsa, Episcopi & Ecclesia, huiusmodi quae diuina sancte & pie à sacris Antistitibus demonstrantur: his quae sub sensu cadunt, ea quae ab omni sensu, & oculorum intuitu sunt remotas, materialibus ea quae materia carèt: externis illa quae intus geruntur. Corporeis enim imaginibus, ait sacer Dionysius, quàm diu corporeis compagibus inclusi sumus, nec omnino possumus mentem à consuetudine corporis auocare, sumus identidem ad memoriam coelestium rerum reuocandi. Neque virò vulgares quaedam aut prophana haec sunt nuptiae, sed illae, ex quibus omni Hierarchici ordinis ratio,

per

Dionys. Areopag. de Eccles. Hierar. Cap. 1.

per quam vera Iesu Christi singulari ac suo quodam modo dignoscitur Sponsa, pendet: unde omnis regiminis & gubernationis Ecclesiasticæ oritur propago, per quam illa ipsa continua & perpetua Spirituæ & Apostolicæ generationis deducitur successio, amplissimum & singulare Catholica veritatis argumentum, illiusque seminis de quo Isaias dixit: Spiritus meus ^{Esaiæ. 58.} qui in te est, & verba mea quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, à modò vsq; in sempiternum. Ex quibus item nuptijs omnia sacramenta vim & initia sua sumunt, & sine quibus nihil sanctum, nihil ritè Deo dicatum esse potest. Hæc enim consecratio, omnium consecrationum fons est & initium: hoc ministerium, omnium ministeriorum principium & fundamentum. Diuinus enim Pontificum ordo, ut ^{Dionys. de} ait sanctus Dionysius, primus est eorū ^{caelesti Hier.} ordinum, qui Dei participes sunt: & ^{rar. cap. 5.} idem vltimus. Primus quidem, quod ex illo promanant reliqui omnes, & sua accipiunt omnia. Vltimus autem quòd in eo desinit & perficitur omnis Ecclesiasticæ & Hierarchicæ rei

ornatus. Vt enim vniuersa Hierarchia in Iesum Christum definit, cuius ille caput est, sic vnaquæque in suum Pontificem. Pontificalis enim ordinis virtus per omnes transit, ac funditur rerum Sacrarum partes: & cum omnibus ordinibus sacris, propriæ Hierarchiæ mysteria operatur. Nam etsi Sacerdotes & Presbyteri aliqua per se conficiunt, non tamen sine his quæ Episcopi propria opera & consecratione fiunt.

Quarum nuptiarum, quæ vis, quæ natura sit, quò melius explicari possit, singulas earum partes eo ordine, & modo explicandas duxi. Inter quos scilicet contrahantur: quem Sponsorem habeant: quos auspices & exoratores: quæ earum circumstantiæ: quis modus, & ratio. Magnum & sublime, vt videtis, argumentum, sed & iucundum ac pernecessarium simul: magno igitur studio vestro, magna deuotione opus habet: sed & ardentibus precibus, vt hic Spiritus Dei, qui eorum arcanorum inuentor & perfector fuit, idem ipse interpretes & enarrator esse velit.

Qui igitur sunt illi, inter quos hæ tanta

ta contrahuntur nuptiæ? quod tam præ-
 clarum & magnificum sibi mutuo spondē-
 tium par? Sponsus est Episcopus, Sponsa
 Ecclesia. Et quidem de Ecclesia plurima a-
 lio loco, & tempore dicta sunt. De Episcopo
 eiusq̄ munere, cuius est summa & prima
 in Ecclesia Dei dignitas & authoritas, nō
 committam, ut ipse aliquid ex meo sensu a-
 pud vos proferam, sed quid ipse CHRISTUS
 Dominus, quid Paulus, quid vetustissimi
 et Apostolici viri sentiant: quem virum,
 cuiusque honoris et dignitatis eum esse pu-
 tent, paucis perstringam. Episcopum igitur,
 summus ipse Pontifex CHRISTUS Do-
 minus, eum esse dicit: qui sit ille bonus pa-
 stor ouium: qui intret per ostium, quod o-
 stium Christus est, & non aliunde. Cui o-
 stiaris Spiritus sanctus aperiat: qui cog- Ioan. 10.
 noscat oues suas, & cognoscant eum oues
 eius: nominatim vocet eas, & vocem eius
 audiant: dux earum sit, vadat ante eas,
 & oues eum sequantur, quia vocē eius ex
 frequenti doctrina, & verbi prædicatione
 cognoscunt: qui non modo mercedem flu-
 xam & caducam non respiciat, non modò
 laboribus non defatigetur, non modò opi-
 bus & facultatibus suis non parcat, hono-
 remq̄

DE CONSECRAT.

remque suam non querat, lupis non cedat,
 aut oves non deserat: non modo infamiam
 paupertatem, exilium, carcerem non me-
 tuat: sed vitam etiam ipsam, atque ani-
 mam (si ita opus sit) libenter & promptè
 pro ouibus suis ponat atque profundat. qui
 sit sal illud terra, condiendo, & ab omni la-
 be conseruando, omni Christiano populo
 comparatum: qui sit lux mundi: lucerna
 super candelabrum posita, qua omnia im-
 munda purget, sterilia facundet, errantia
 illustret, mœsta exhilaret, latetia prodat,
 ac in lucem proferat: qui sit illa ciuitas in-
 expugnabilis in monte posita, vnde quaq̃
 illustris, & qua obscurari nullo modo pos-
 sit: oculus vniuersi: quo sano & simplici,
 totum corpus sit lucidum: quo deprauato
 & lippiente, totum futurum sit tenebro-
 sum: qui clauis regni caelestis habeat: vt
 cui aperiat, apertum sit: cui claudat, per-
 petuo sit obseratum: qui potestate ligandi
 & soluendi sit preditus: vt quodcunque li-
 gauerit super terram, sit ligatum in caelis:
 & quodcunque soluerit in terris, sit solutū
 & in caelis: quorum detinuerit peccata, de-
 tent a sint: quorum dimiserit, dimissa sint:
 quem qui audit, Christum audit: què qui
 sper-

Matth. 5.

Ioan. 8.
 Matth. 5.

Matth. 6.

Matth. 16.

Ioan. 20.
 Luca. 10.

spernit, Christum, & qui misit eum, De-
 um patrem spernit, & conculcat: quē qui ^{Matth. 24.}
 accipit, Christum accipit, & cum eo patrē
 eius: Qui fidelis sit seruus & prudens, quē
 constituit dominus super familiam suam,
 ut det illi cibum tempore opportuno: qui
 sit operarius messis eius, ut fructum adse- ^{Iuc. 10.}
 rat, & fructus eius maneat: qui de mun- ^{Ioan. 15.}
 do non sit, sicut & Christus de mundo non ^{Ioan. 17.}
 est: & claritatem habeat, quam dedit ei
 princeps Pontificum Christus Iesus: quem
 eundem testem, Et eritis mihi testes, in ^{Actuum 2.}
 Hierusalem, & in omni Iudæa, & Sa-
 maria, vsque ad vltimum terræ. ^{ami-}
 cum, iam non dicam vos seruos, quia ^{Ioan. 15.}
 seruus nescit quid faciat dominus ei-
 us, sed amicos fratrem denique suum, ^{Matth. 23.}
 Nunciate fratribus meis, ut eant in
 Galilæam, appellare solet.

Hunc eundem Paulus hominem dicit ^{Hebr. 5.}
 esse, ex hominibus assumptum, pro homi-
 nibus constitutum in his quæ sunt ad De-
 um, ut offerat dona & sacrificia pro pec-
 catis: qui condolere possit his, qui ignorant
 & errant: ut qui & ipse circumdatus est
 infirmitate, & propterea debet exorare
 atque offerre, quemadmodum pro populo,

- 1. Par. 23.** ita etiam pro semetipso pro peccatis. Qui non sumat sibi eum honorem, sed vocetur tanquam Aaron. Nam & Christus non semetipsum clarificavit ut Potifex fieret, sed qui locutus est ad eum, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Et alio loco: Tu es sacerdos in aeternum, secundum ordinem Melchisedech. Qui sit minister & adiutor Dei, ac dispensator ministeriorum eius, sapientibus & insipientibus debitor: ut fructum de profectu omnium consequatur: cui datum est ministerium reconciliationis, et posuit Deus verbū reconciliationis in ore eius: qui legatione fungatur pro Christo tanquam Deo exhortante per os eius: qui Christi bonus odor sit Deo, in his qui salvi sunt, & in iis qui pereunt: quem vult esse virum sine crimine, sobrium, ornatum, prudentem, hospitalem, doctorem, castum, sanctum, continentem, amplectentem eū qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem: ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere: qui exemplo sit fidelibus, in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate. Cui subesse oporteat, tanquam ipsi Domino.
- Psalm. 2.**
Psal. 109.
1. Cor. 3.
1. Cor. 4.
Rom. 1.
2. Cor. 5.
2. Cor. 2.
1. Tim. 3.
Titum 1.
1. Tim. 4.
Hebr. 13.

De cuius officio & dignitate, inter cæ-
 teros Patres & viros illos Apostolicos,
 Clemens Petri successor cum differeret,
 Omnis sacræ scientiæ eum cultodem
 esse dixit, mediatorem Dei & homi-
 num. in eo quod ad eum facit mini-
 sterio; doctorem pietatis, secundum
 DEVM parentem nostrum, qui per
 aquam & Spiritum regeneret nos in
 ius adoptionis filiorum Dei: Princi-
 pem & Ducem populi Dei, Regem
 atque Dinastam Θεοῦ ἐπιγέτοῦ, hoc est,
 post Deum, terrestrem Deum, cui à
 nobis primus debeat honor; de eo
 enim, & illi similibus, scriptum esse
 docet; Ego dixi, Dijs estis, & filij alti-
 simi omnes vos. Et illud: Dijs non
 maledices. Qui primum in omnibus
 locum teneat; diuini honoris, quan-
 tum homini fas est, particeps; vniuer-
 si cleri caput; totius autem populi, in
 his quæ sunt ad Deum, princeps. Pau-
 li autem eorum arcanorum, quæ homini
 non est fas proloqui, vnicus & germanis-
 simus interpres Dionysius Areopagita,
 quem post Apostolos Theologorum prin-
 cipem docti appellare solēt, Episcopum di-

Const. Apost.
 Li. 2. ca. 30.

Psal. 18:
 Exod. 20.

2. Cor. 12.
 Dionys. de
 cælesti Hie-
 rar. cap. 1.

cis

cit esse. Virum diuinum, diuino numine afflatum, qui omni sacra disciplina sit præditus, perficiens ea quæ perficiuntur, omnemque sacerdotalem doctrinam complexus; tradens item sacra pro cuiusque eorum dignitate, qui scienter & integrè præditi sunt Sacerdotum perfectione atque virtute; & in quo omnis, quæ eum attingit Hierarchia, purè absoluitur & cognoscitur.

Cum enim ex doctrina Apostolica tres functiones, operationes, atque perfectiones, vniuersi Ecclesiastici ordinis statuatur, Incipientium καθάρσις καὶ διόκρισις: quasi dicas, purgantem, ac discernentem, & separantem vim: quæ instituendis Catechumenis, ac illis qui primò inchoantur, comparata est. Deinde eorū, qui instituti sunt sacrum φωτισμόν hoc est, illuminantē virtutem: quæ illis, qui per Baptismum ad diuinum & cæleste lumen adducuntur, inseruit. Vltimam autem, & cæteras in se complexam, omnium nobilissimam ac perfectissimam diuinam τελειωσις: id est, eorū qui illuminati sunt, ac ad supremam perfectionem tendunt, per sacra mysteria & cæle-

lestem doctrinam, perfectionem atque consumationem. Et primam quidem illam functionem τῶν λειτουργῶν, hoc est, ministrantium esse dicit: secundam τῶν ἱερεῶν, id est, Sacerdotum ac Presbyterorum: tertiam, utrasque in se complexam, diuinorum Hierarcharum atque Pontificum. hocque illud est, quod in diuino Hierarcha, omnem quaecum attingit, Hierarchiam purè absolui & perfici docet. Sacra enim lex est diuina Hierarchia, per prima & summa, ea quae posteriora sunt, ad diuinissimū deducit lumen: quae quidem lex diuina est in omnibus ipsius creaturis, tā quae aspectu sentiuntur quā quae aspectū superāt, praclarissimè instituta. Et inferiores quaedam ordines, ad superiora transilire non possunt: diuiniore autem virtutes secundū suas proprias perfectiones, eas quae inferiores sunt, in se cōplectuntur. D. verò Ignatius Ioannis Discipulus, eundem ita definit: Vt Episcopū esse dicit, quae omni principatui & potestati supereminet, & quoad homini licet, imitator Christi veri Dei; princeps sacerdotū, imaginē Dei reterēs, Dei quaedam propter principatū, christi verò propter Sacerdotiū. Nec. n. Rege quisquā

In epist. ad
Smirnaenses.

b pra.

præstantior, aut quisquam simili s ei, in rebus creatis; nec Episcopo quicquam maius in Ecclesia, qui Deo cōsecratus est; pro totius mundi salute; quem qui honorat, à Deo honorabitur; qui ignominia afficit, à Deo punietur; sine quo nihil faciendum censet earum rerum, quæ ad Ecclesiam spectant; neque baptisandum, neque offerendum, neque Sacrificium immolandum, neque Oblationem celebrandam, neque coniugij vnitatem faciendam, vt coniugium sit secundum Deum, non secundum carnem. Qui vbi comparèt, ibi omnis sit Christiani populi multitudo; quæadmodum vbi Christus, ibi omnis astat exercitus cœlestis; veluti Imperatori potestatis diuinæ, omnisque intellectualis naturæ gubernatori dispēsatorique, quæ reueri oportet vt Christum. Sic enim nobis præcipiunt diuini Apostoli. Cui qui non obtemperet, ille sine Deo est, pietatis expers, Christum spernens, eiusq; ordinationi resistēs, sine quo nulla est Ecclesia, nulla Sanctorum congregatio: absq; cuius au-
cto.

toritate qui agit, foris est, inquinatam habet conscientiam, infideli deterior; qui enim Christi sunt, Episcopi sunt; qui verò ab illo declinant, & cum impijs cõmunionē amplectuntur, hi cùm illis excinduntur; nec enim Christi agricultura sunt, sed Diaboli semen. Sacerdotium enim est omnium bonorũ, quę in homine sunt, supremus apex, qui aduersus illud facit, non hominem ignominia afficit, sed Deũ & Christũ Iesũ primogenitum, qui natura solus est primus & sũmus Sacerdos. Laici. n. Diaconis, Diaconi Presbyteris Presbyteri episcopis, Episcop' Christo, vt ipse Patri, subiicitur.

Quem eundem Episcopum, NAZIANZENSIS, atque sacer BASILIVS, duo Catholicae religionis clarissima lumina, illis pulcherrimis & verissimis depingunt coloribus: dum eum Angelum Dei, candidilabrum in Ecclesia Christi, sacerdotem incruenta Sacrificia offerentem, illustrem animarum custodem, magni DEI figmentum in manibus suis portantem, Deum hominibus conciliantem, immortalis vitę Docto-

Nazianzenus in Apologetico primo. Et in oratiõne de laudibus Athanasij. In funere item parentis: In exhortatione ad Episcopos. Basilius in Epist. 61.

B a rem,

rem, magnam vocem & tubam, sermonum Regalium viuificantem virtutem, columnam & firmamentum in domo Dei, scopulum eminentem, qui omnes fluctus errorum & persecutionum excipiat, frangat, & à populo Dei arceat; terrorem Hæreticorum, custodem Patriarum Legum, omnisque nouitatis hostem; securim petram scindentem, linguam flumini irriganti similem, cordis profunditatem, fulgur celeritatis, sacri consilij apicem, sermonum mysticorum interpretem, ignem malæ & vitiosæ materiæ purgantem, ventilabrū quo à grauibus dogmatibus leuia discernuntur, gladium vitij radices excindentem, percutientibus Adamantē dissidentibus omnia inungentē Magnetem, veteris vitæ & doctrinæ exemplum appellare solent: quē item omnes necessitatum suarum nominibus compellent. Vt Virgines pronubium laudent, Coniuges moderatorem, Monachi legislatorem, simplices itineris ducem, speculationi dediti Theologum, hilares frenum
cala

calamitosi consolatorem, canicis
 baculum, iuuentus magistrum, pau-
 peres suppeditatorem, diuites dispen-
 satorum, viduæ patronum, pupilli
 patrem, peregrini hospitem, fratres
 fratrum amatorem, ægrotantes me-
 dicum, sani valetudinis custodem: *1. Cor. 9.*
 omnes deniq; eum, qui omnia om-
 nibus factus est, vt omnes lucrifaciat.

*Quem oues sue ad illud tribunal, in quo
 & sermo, & actio, & cogitatio cuiusque
 nostrum, iusta Dei tritura expendetur, cum
 ipse Deus ad iudicandam terram surrexe-
 rit, vocatur & sunt: vt qui ita fidem serua-
 rint, virtutemque coluerint, vt ab illo im-
 buti sunt.* Quod si rectè exequuti su-
 mus. *inquit Cyrillus,* recipiemus mer- *Cyrl. Ep. 6.*
 cedem, imo & laudem cōsequemur;
 si verò aliter & peruersè, quæ nobis
 flammæ ad supplicia sufficient? Audi-
 emus enim illud: Terram meam per-
 didisti, & populum meum occidisti.
 Et laicorum quidem quisque pro sua *Esaiæ 14.*
 vita rationem reddet: nos aut, qui-
 bus Sacerdotum munus incumbit,
 non pro nobis ipsis duntaxat, sed si-
 mul pro vniuersis in CHRISTVM

credentibus, causam dicemus.

Tanti igitur, & tam sublimis sponsi, hæ sunt nuptiæ: nam plura in eam partem dicere, nec res ipsa, nec tempus patitur.

Sponsor autem quis? non alius certè, quàm ipse summus Sacerdos & Pontifex Christus Dominus: quem Divus Ignatius primogenitum, & solum naturæ τε πατρος δεξιέρα vocat: quem Dionysius Θεαρχιδόν και πρωτον ιεροτελεσην, hoc aut est, diuinum & primū consecratorē appellare solet. Primus enim Pontifex, primus Hierarcha Ecclesia sua Christus est Dominus. Hic est uniuersa illa discipulorū turba, quæ illū sequebatur, elegit auodecim: quos Apostolos nominauit, quos postea ad cænā primo, deinde in cælos ascensurus, Pontifices et sacerdotes illis verbis, illa cæremonia, creauit atq; cōsecrauit: Sicut misit me viuēs Pater, ita & ego mitto vos. Hoc cū dixisset, insufflauit, & dixit eis: Accipite spiritū sanctū: quorū remisistis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Hic idē dicit Paulus: Ascendens in altum, dedit dona hominibus. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas,

Cap. 5. de Ec-
clesiastica
Hierarchia.

Ioh. 20.

Ephes. 4.

alios autem Pastores & Doctores, ad
 cōsumationem Sanctorum, in opus
 ministerij, in ædificationem corpo-
 ris Christi; donec occurramus om-
 nes in vnitate fidei, & agnitione filij
 Dei, in virum perfectum, in mensurā
 ætatis plenitudinis Christi. *Huic primo*
& summo Consecratori, Petrus cum om-
ni multitudine fratrum, presentauit Iose-
phum, qui vocabatur Barsabas, qui cog-
nominatus est Iustus, & Mathiam, cum
illa præfatione: Tu Domine, qui corda
 nosti omnium, ostende quem elegeris
 ex his duobus vnum, accipere lo-
 cum ministerij huius, & Apostolat⁹,
 de quo præuaricatus est Iudas, vt abi-
 ret in locum suum. *Non solum autem*
hic Consecrator est, sed etiam ipse præsens
huic negotio adest. Si enim vbi fuerint
 duo vel tres, *inquit Ambrosius, ibi se fu-*
 turū promisit: quātò magis vbi est Ec-
 clesia, vbi mysteria sua sunt, inuocat⁹
 precib. sacerdotū, ibi dignabitur suā
 impartire præsentiam. Credamus igi-
 tur diuinitatis hic adeste præsentiam.
 Operationem credimus, præsentiam
 non credemus? vnde sequeretur ope-
 ratio,

Actuum. 1.

Matt. 18.

De ijs quib.
serijs inu-
tiantur ca. 3.

ratio, nisi præcederet ante præsentia?
 Huius autem Hierarchæ, quem summo loco
 consedissee videtis, manus nihil aliud sũt
 quàm visibile instrumentum, externum-
 què signum & symbolum illius inuisibilis
 Sponsoris & consecratoris Iesu Christi. I-
 deoque summum & Principem, tanquam
 summi & principis Minister & Vicarius,
 in tota Ecclesia obtineat locum: Ideo om-
 nes, siue Presbyteri, siue Episcopi, submisise
 ante illum inclinant capita sua. Ideo hic
 ipse Cõsecrator nihil omnino vel dicit, vel
 agit, non deniq; se loco mouet, nisi primum
 ope & auxilio impetrato desup à Patre lu-
 minũ; à quo omne datũ optimũ, et omne do-
 nũ perfectũ promanat: ideo nihil ex sua p-
 sona loquitur, nihil sua facit autoritate.

Jacob. 1.

Ibid. cap. 3.

Nã & Moyfes, inquit diuus Areopagita,
 sacrorum Legis mysteriorum inter-
 pres ac præfectus, non prius Aaronẽ
 ad Pontificalem dignitatem extulit,
 quem alioqui Deo charum esse, ac
 dignum Sacerdotio, existimauit: quã
 ad id agitatus DEO consecrationis
 principe consecrationis ritum & mu-
 nus, vt Pontifex, executus est.

Cogitandum est igitur diligenter et cõ-
 si-

sideratè, & illis qui consecrari debent, apud quem Antistitem atque Hierarcham se sistant: apud illum scilicet, quem iudicem viuorum & mortuorum aliquando conspecturi sunt, Cogitandum item & Regibus atque Principibus, omnibusque illis, quibus Pontificis deligendi ac designandi potestas & auctoritas credita est: quem, & qualem virum, & quibus ex causis & meritis, huic tanto Pontifici & Hierarcha offerunt, ne falsi & mendaces testes inueniantur apud Deum & homines. Neque enim facile est Deum fallere, magnùmque Dei oculum, omnia cernentem, effugere. Illud item sciendum, nihil huic ipsi Pontifici difficile, nihil arduum, nihil ad efficiendum impossibile: earum præsertim rerum, quarum administer ac dispensator constitutus est, fore: qui tantum & tam potentem auctorem & consecratorem habeat: modò ipse ignauus & ociosus esse nolit: modò ipse officio suo non desit: modò in omnibus ceptis ac institutis suis, ad suum patronum & aduocatum recurrat.

Sponsore earum Nuptiarum explicato, ad Nymphostolos, siue Paranympchos, quos Latini Promubos, nuptiarumque au-

spices, vocare solēt: hoc autē est, exoratores
 instructores, exornatoresq; nuptiarū, trā-
 seamus. Omnes Provincia Episcopi hi esse
 debent. Sic. n. prima Nicæna statuit Sy-
 nodus: Episcopū, inquit, cōuenit maxi-
 mē quidē ab omnib. qui sunt in Pro-
 uincia, Episcopis ordinari. Si tamen
 hoc difficilē fuerit, aut p̄pter instā-
 tē necessitatē, aut p̄pter itineris lon-
 gitudinē: tribus tamē omnimodis in-
 idipsū cōuenientib⁹, & absentib⁹ ta-
 mē pari modo decernentibus, & per
 scripta cōsētiētibus tū ordinatio cele-
 bretur. Nā & Mathias presentib. vnde-
 cim, in locū de quo prauaricatus est Iudas,
 sufficitur: et Saulus et Barnabas, eodē mo-
 do. Erant, inquit, in Ecclesia q̄ est Anti-
 ochiæ, Prophetæ & Doctores: dixitq;
 Spiritus sanctus: Segregate mihi Sau-
 lū & Barnabā, in opus ad q̄ assump-
 si eos. Tunc ieiunantes & orantes, im-
 ponentesq; eis manus, dimiserunt
 illos. Neque verò frustra & temerē, tot,
 & tantis testibus, hoc ipsum nititur Con-
 gium. Cū enim Episcopus dux sit cæco-
 rum, medicus agrorum, doctrinæ custos,
 forma gregis: prouidendum erat diligen-
 ter,

48. 1.
 altuum 13.

ter, ne in ipso duce aliquid erroris, in medico pestis & aegritudinis, in doctore & magistro stultitia & ignorantia, in forma & exēplo gregis, aliquid turpitudinis & deformitatis insit ne mercenarius p pastore, Mat. 6. ne lupus pro stabulario, nefur & latro pro doctore subrepat. Si .n. ocul⁹ fuerit neq̄ totū corp⁹ tenebrosum erit. Si lumen tenebræ sūt, ipse tenebrę quales erūt? Nihil earū rerū huius seculi Hæretici faciunt. Vana quis gloria ac popularis auræ astro p̄citus: iræ ac odij facibus accensus: libidinis & cupiditatis ignes non ferens: duro telo paupertatis pressus: ausus quid breuib⁹ Gyaris & carcere dignū: ad istos confugit, se Ducē, Doctore, Hierarchā constituit: accipitur, auditur, laudatur, omniaque flagitia illi facile condonantur, modo impia dogmata & ipse sequatur, & alios doceat. Ideo semper paruuli fluctuantes sunt, ideo circumferuntur omni vento doctrinae, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris: ideo nunquā Ephes. 4. sibi constāt: ideo nusquam locum habent, ubi constanter defigant pedem.

Et pronubi quidem nostrarum nuptiarum sunt hi, Circumstantia autem ille.

Tempus

*Tempus quidem, diei Dominici, hora ter-
 tia. Idquo vetustissimo more. Solā enim
 maiores nostri inquit sacer Leo, resur-
 rectionis Dominicæ diem eo hono-
 re dignam iudicauēre, vt sacerdotes
 qui sumantur, hoc die potissimum
 consecrentur: nam quicquid est à do-
 mino insignius constitutum, in hu-
 ius diei dignitate est gestum. In hac
 mundus sumpsit primum exordium.
 In hac per resurrectionem Christi, &
 mors interitum, & vita accepit initi-
 um: In hac Apostoli à Domino præ-
 dicandi omnibus gentibus tubam su-
 munt, & inferendum vniuerso mun-
 do sacramentum regenerationis ac-
 ciunt: In hac congregatis in vnum
 discipulis, Dominus dixit; Accipite
 Spiritum sanctum: quorum remise-
 ritis peccata, remittuntur eis: & quo-
 rum detinueritis, detenta sunt. In hac
 denique promissus à Domino Spiritus
 sanctus aduenit: Et repleti sunt
 omnes Spiritu sancto, & cœperunt
 loqui varijs linguis, prout Spiritus
 sanctus dabat eloqui illis: vt cœlesti
 quadam regula insinuatum & tradi-
 tum*

Ep. 28. 29.

Act. 20.

Act. 2.

tum nouerimus: in illa die celebranda nobis esse mysteria Sacerdotaliū benedictionum, in quo collata sunt omnia dona gratiarum.

Locus autem, Templum Deo consecratum, Altare Iesu Christi: Nam & illi primi Diuini Hierarchæ atque Pontifices sancti Apostoli, erant in Cœnaculo ample & magnificè instructo, erant ad communem mensam, tum quando Sacerdotes & Pontifices creati sunt. Cœna enim facta, veteri & typico Sacrificio & Sacer- Iocn. 13.
dotio perfectò atque consumato, Lege charitatis & humilitatis per submissam lotionem pedum firmata, nouo reficiuntur cibo, atque ex nouo bibunt calice: nouum instituitur Sacrificium: noui recentis Sacrificij Ministri ac Sacerdotes: ita ut mensa illa cœlestibus refecta dapibus, pars inaugurationis & consecrationis eorum fuerit. Eodem modo, dum Saulum, & Barnabam in opus ministerij elegit Spiritus sanctus, dicit Scriptura: Ministrantibus illis domino, (quod Græcis mysticam significat oblationem) & ieiunantibus, id factum esse. Indeque profectum est, ut nulli Ordines sacri, ex illis qui ma-
Actuum 13.
iores

iores dicuntur, sine hac mensa, sine hoc altari, ipsaque sacrorum mysteriorum cum muncatione & oblatione conferantur: quod iam tum ab Apostolorum temporibus profectum, & institutum esse, testis est D. Areopagita, qui dicit: Nullum licere sacramentum perfici Hierarchici muneris, absque diuina Eucharistia: Hoc siquidem Sacramentum, omnium bonorū fons est & origo: per hoc tanquam per mundissimum canale, omnes perferuntur gratia, ut sint in fontem aqua salientis in nobis in vitam eternam. Huius Sacramenti ritè conficiendi causa, omnes sacri Ordines instituuntur, & per hoc firmantur. Hoc mysterium est omnium diuinorum operum ac mysteriorum arabo, & ultima ob-signatio.

Cum igitur nobis demonstratum sit, inter quos ha ipse nuptia contrahantur: quis nuptiarum Sponsor: qui auspices & pronubi: quis locus & tempus: nunc modū ipsum, in quo summa huius argumenti consistit, desponsationis eius texamus. Adducitur igitur in primis nouus Sponsus ab exoratoribus atque pronubis, ad diuinum Hyerotelestem. Neq̄ enim primis illis celestibus

Cap. de Ec-
clesiastica
Hierahia.

Ioan. 4.

lestibus, ac verè aureis temporibus inua-
debantur Episcopatus, neque illi qui Epis-
copi creabatur sponte currebant, aut Epis-
copatus fraude & violenter occupabant:
sed querebantur, sed ducebantur, sed vi et
precario pertraherentur. Sic Basilium de-
serta & solos locos sequentem, prodidit
Chrysostomus: Basilius Gregorium. Sic
Astemius orientis Praefectus, Theodosij
mandato, dolo & insidijs ipsum Chryso-
stomum capit, ac plane vinctum ad pra-
hendendum Constantinopolitanum Pa-
triarchatum mittit: Sic Gregorius Ma-
gnus alieno vestitu in spelunca delituit, do-
nec indicio ignea columna proditus est: Sic
Nilamon Monachus mortem sibi potius
à Deo impetrauit, quam ut à Theophilo
ad Episcopatum pertraheretur: multi se-
ipsum truncabant, ne Episcopi fierent. Quam
maesta illa vox, Isaia verbis usurpata,
Nazianzeni fuit, posteaquam Episcopus
Sasimorum creatus est: Super me, inquit
rursus vinctio & Spiritus, & rursus e-
go lugens & tristis incedo. Nam pro-
fecto, inquit, ars quaedam artium &
scientiarum mihi esse videtur, homi-
nem regere animal. omnium maxi-
mè,

In Apologi-
tico ad Parrē

mèvarium & multiplex. Vt quem-
admodum in sublimi & pendulo fu-
ne gradientibus, huc vel illuc defle-
tere minimè tutum est, nec quæli-
bet parua inclinatio paruum pericu-
lum adfert: verum eorum salus ac sa-
nitas inæquilibrio posita est; ad eun-
dem quoque modū vtramuis in par-
tem quispiam, siue ob vitium, siue
ob imperitiam propendat, haud leue
periculum tum ipsi, tum subditis im-
minet, ne in peccatum prolabatur.

*Nunc turba ruit. Neque cuiusquam rei
tanta seges & ubertas est, quam vacante
Episcopatu, candidatorum: tanquam non
virtutis exemplum, sed vitæ adiumentū
& subsidium, hunc ordinem esse iudicent:
ac non munus reddenda rationi obnoxiiū,
sed imperium liberum ac referendarum
rationum metu solutum. Et ideo verendū
est, ne illud exaudiant: Ipsi regnauerunt,
& non ex me: Principes extiterunt, & e-
go ignoravi. Quod metuo, ne ipsi fructus,
atque hæc omnium rerum perturbatio, a-
bunde doceat.*

ofca 8.

*Ducitur igitur ad suum Sponsorem no-
uus Sponsus: ducitur autem in vestitu &
appa*

apparatu candido, propter designationem illius candida & nuptialis vestis: sine qua qui ingressus ad nuptias fuerat, eiectus est in tenebras exteriores. Nemo enim magno & Deo, & Sacrificio, & Pontificatui, dicit Gregorius, dignus est, nisi qui prius seipsum Deo hostiam viuente & sanctam exhibuerit, rationabilemque cultum gratum atque acceptum ostenderit, Deoque Sacrificium laudis, spiritumque afflictum atque contritum obtulerit. Vestis ergo candida, innocentia velamina indicat. Ducitur in veste & ornatu Presbyterali atque Sacerdotali. Neque enim in prima illa Ecclesia licuit quenquam Episcopum creari, qui non per omnes Ecclesiasticos gradus transierit, qui non per multos annos functiones omnium Ordinum exercuerit. Unde illa laus Cornelij apud beatissimum martyrem & Pontificem Cyprianum: Non iste, inquit, ad Episcopatum subito peruenit, sed per omnia Ecclesiastica officia promotus, & in diuinis administrationibus Dominum saepe promeritus, ad Sacerdotij sublime fastigium, cunctis religionis gradibus as-

Matt. 22.
In Apolog.
ico primo.

Ll. 4. epi. 2.

cendit; nec, vt quidam, vim fecit vt Episcopus fieret, sed ipse vim passus est vt Episcopatum coactus exciperet. Eodem modo Gregorius laudat Athanasium, laudat Basilium. Athanasium quidem, Cunctis, inquit, Ecclesiasticorum graduum muneribus deinceps perfunctus, Alexandrino populo, quod idem est ac si dixisset, vniuerso terrarum orbi, præficitur. Basilium verò: Ordine, inquit, & Spiritualis progressionis lege, hoc eum honore affecerunt. Et adfert hac de re suum iudicium: Nauticam legem præclaram censeo, quæ gubernatori primum remos committit, deinde ad proram collocat: sicque prioribus muneribus commissis, tandem eum post diuturnam maris verberationem ac ventorum gubernationē, ad gubernacula constituit. Eadem rei militaris est ratio. Miles primò, deinde Centurio, tum Imperator, hic optimus ordo est: ipsique qui subsunt in primis conducibilis.

In laudibus
Athanasij.

In laudibus
Basilij.

Hebr. 4.

Sed & ipse pastor pastorum Iesus Christus, per omnia primum tentatus est pro suis

similitudine absque peccato, priusquam
Pōtifex factus est, ut possit compati infir-
mitatibus multorum. Negocia enim o-
porter gerere Epūm, inquit Synesius, Apud Nice-
pho. lib. 14.
cap. 55.
 quæ simul omnes tangūt. Quæ enim
 communia omnium sunt, vnum ip-
 sum curare opus est, nisi criminibus
 omnibus obnoxius esse velit. Cum
 inferiorum ordinum culpæ, scribit S. Epistol. 3.
Leo, ad nullos magis referendæ sint,
 quàm ad delictes negligentēque re-
 ctiores, qui multum sæpè nutriunt pe-
 stilentiam, dum necessariam vel ne-
 sciunt, vel desimulent adhibere me-
 dicinam. Quis autem ille est, inquit
Gregorius, qui veritatis Antistitem & In Apolege-
tico. primo.
 propugnatores vnus dieculæ spa-
 cio, veluti simulachrum ex argilla,
 fingat: illum inquam qui cum Ange-
 lorum classe & ordine futurus est:
 qui cum Archangelis Deum celebra-
 bit; qui ad supernum altare sacrificia
 transmittet, simulque cum Christo
 Sacerdotiō fungetur: qui figmentum
 instaurabit; imaginemque creatori
 sistet, & superno mundo opificem a-
 get. Et quod maius est, dicam, DEVS

erit, & alios DEOS efficiet.

In laudibus
Athanasij

Nunc autem illud euenit, quod idem Nazianzenus dicit. Discipuli simul magistrique pietatis designantur: alios ante purgant, quam ipsi purgati fuerint; heri sacrilegi, hodie sacerdotes: heri extra sancta, hodie sanctorum arbitri & Antistites; veteres vitio, pietate rudes & recentes: (quod gratiæ ac fauoris humani, non Spiritus opus est) qui cum cætera omnia violenter peruaferint, ad extremum ipsam quoque pietatem tyrannide premunt: quorum non mores dignitati, sed dignitas moribus fidem astruit, ordine admodum præpostero; qui denique plura pro suis, quam pro populi ignorantibus, sacrificia debeant. *Ideo nihil rectè ordine, nihil canonicè, nihil more veteri in Ecclesijs geritur. Cum primum curandum erit, ut Ecclesia digni simus: deinde sacrario, & ita demum præfectura. Sanxit hoc vetustissimum Sardicense Concilium, in quo Osius Episcopus sic loquitur: Si fortè aut diues aut scholasticus de foro aut ex administra-*

Capite. 13.

nistra,

nistracione Episcopus fuerit postulat-
 us vt non prius ordinetur, nisi ante
 & Lectoris munere, & officio Dia-
 cono, aut Presbyteri, fuerit perfunctus;
 & ita per singulos gradus, si dignus
 fuerit, ascendat ad culmen Episcopa-
 tus. Potest enim per has promotio-
 nes, quæ habebunt vtique prolixum
 tempus, probari, qua fide sit, qua mo-
 destia, qua grauitate & verecundia;
 & si dignus fuerit probatus, diuino
 Sacerdotio illustretur; quia conue-
 niens non est, nec ratio vel disci-
 plina patitur, vt temerè & leuiter or-
 dinetur aut Episcopus, aut Presbyter
 aut Diaconus, qui Neophytus est; ma-
 ximè cum & magister gentium beat⁹
 Apostolus, ne hoc fieret, denunciaf-
 se & prohibuisse videatur; sed hi quo-
 rum per longum tempus examinata
 sit vita, & merita fuerint comproba-
 ta. *Saxerunt hoc idem Sanctissimi Pon-
 tifices, Cælestinus, Leo, Gelasinus, Nico-
 laus primus.* Quid proderit per singu-
 la Clericos stipendia militasse, *inquit Cælestinus in*
Cælestinus, & omnem egisse in dome- *Decreto sua*
sticis castris ætatē, si qui sunt ex laicis, *Sanctione.*

Leo in De-
cretalibus su-
is cap. 33.

Gelasius in
Decretalibus
suis, cap. 3.

his præfutori quæruntur? *Pulcherrimè
eam totā rem sanctissimus explicat Leo:*
Cùm omnis gradus militiæ Christia-
næ de incrementis profectuum de-
beat æstimari, an possint cuiquam
maiore comitti? Meritò beatorum
Patrum venerabiles sanctiones, cum
de sacerdotum electione loqueren-
tur, eos demum idoneos sacris admi-
nistrationibus censuere; quorum o-
mnis ætas, à puerilibus exordijs vsq;
ad prouectiores annos, per disciplinæ
Ecclesiasticæ stipendia cucurrisset, ut
vnicuique testimonium prior vita
præberet; nec posset de eius proue-
ctione dubitari, cui pro laboribus
multis, pro moribus castis, pro acti-
bus strenuis, celsioris loci præmium
deberetur. Si enim ad honores mun-
di sine suffragio temporis, sine me-
rito laboris indignum est perue-
nire, & notari ambitus solent, quos
probitatis documenta non adiu-
uant; quam diligens, & quàm pru-
dens habenda est dispensatio diui-
norum munerum, & cœlestium di-
gnitatum, ne in aliquo Apostolica &
Cano.

Canonica Decreta violentur; & his Ecclesia domini regenda credatur, q̄ legitimarum institutionum nescij, & totius humilitatis ignari, non ab infimis sumere incrementum, sed à sūmis volunt habere principium; cū valde iniquum sit & absurdum, vt im periti magistris, noui antiquis, & rudes præferentur emeritis? Omnis Ecclesiastica disciplina resoluitur, omnis ordo turbatur, dum in Ecclesia, qui nullum subierunt ministerium, peruerso eligentium iudicio, indebitum obtinent principatum. *Damnat plurimum eo nomine Nicolaus primus Photium, qui laicus Constantinopolitanū affectabat Primatum: Pridem, inquit, auditor esse debuit, & deinde institu-*

tor; sed hic docere prius elegit, & deinde cœpit doceri; prius sanctificare curauit, ac deinde sanctificari; prius illuminare voluit, & postea illuminari. eamque ob causam & ipsum Photium, & eius consecratorem Gregorium Syracusanum, loco & dignitate mouit. Nam si quid secus aliquādo fiebat, tum id vel ob summam necessitatem & excellentiam

*Nicolaus epi
stola prima
ad Michaelē
Imperatorem.*

virtutis, ut in Nectario: vel imminentis periculi causa, ut in Tarasio: vel per miraculum cœlestemque designationem, ut in Ambrosio factum fuisse legimus. Proinde monet diligenter idem Nicolaus constantinopolitanam Ecclesiam: Ut tales alere omni religione studeat eruditos viros, qui ad eum cardinem honoris digne subrogari possint. Quod non solum, inquit, in tanto Patriarchatu obseruari omnino debet, verū etiā in singulis quibusque ciuitatib. ex cōsuetudine canonica magna cum cautela seruatur & custoditur.

Sic pertractus, sic vestitus, sistitur principi Hierarchæ, magni & sacrosancti Tabernaculi administro, nouus Sponsus postulatur. Postulari enim debet Episcopus, non postulare. De Dei enim & Christi eius iudicio, dicit Cyprianus, de Clericorum omnium testimonio; de plebis, quæ adest, suffragio; & de Sacerdotū antiquorū & bonorū virorū collegio; loco & gradu Cathedræ sacerdotalis vacante; Dei volūtate, atq; omnium cōsensione, creari & cōsecrari debet Epūs. Postulat, dicunt sacri prom-
bi

Epist. 5.

Li. 4. Ep. 2.

bi, Reuerendissime Antistes, sacra ma-
ter Ecclesia, vt hūc præsentē presby-
terū ad onus Episcopat⁹ subleuetis.
*Illud aperte declarantes, neque Reges, ne-
que Principes, neque plebem, aut ciuitatis
magistratum, sed Hierarchicam ordina-
tionem atque benedictionem Episcopus
constituere: illorum testimonium tantum,
huius auctoritatem esse.*

*Sic constituto & postulato nouo Spon-
so, cum rectè norit sacer Antistes, plenas
nuptias tribus quasi contineri partibus,
Fide, Sacramento, & Prole: Ne quid fe-
stinè & propere faciat, neve cito cuiquam,
iuxta Apostoli præceptum, manus impo-
nat, secundum Decretum Carthaginen.
Concilij: primum ad examen fidei, quod
tanquam fundamentum & basis totius æ-
dificij est, confert. Fides autem cum primū
in sensu elucescere debeat, deinde in mori-
bus, ad utrunque doctrina genus explorā-
dum se confert: tam quod in sermone, quā
quod in opere vitæque exemplo consistit.
Et primum de primo genere fit inquisitio.
Num doctrinam veteris & noui Testa-
menti, cuius magister & interpret esse de-
bet, rectè norit? Absurdum enim est,*

C 5

inquit,

1. Tim. 5.

In laudibus
athanasij.

inquit Gregorius, & salutis Doctorem,
& Antistitem, salutis principia igno-
rare. Et num prudentiam suam, quantum
illius capax est natura, diuina scriptura
sensibus accommodare velit? Quod dum
sanctè professus fuerit, proponitur illi vni-
uersa fidei summa? eorum presertim capi-
tum, quibus vniuersa religio Christiana
continetur: Summa ac diuinissima Trini-
tatis confessio, incarnationis, salutisque
nostrae aconomia: spes vite & resurrectio-
nis futura: Sanctorum communio: ac vnius
sanctae Catholicae et Apostolicae Ecclesiae
auctoritas: ubi illa maximè inculcari so-
lent, quae aliquo modo praua et insidiosa
Haereticorum curiositate & malicia, eo
tempore in dubium sunt vocata, aut quae
aliqua labe insidiator salutis nostrae asper-
sit Diabolus: ne quid ex cummuni conta-
gione contraxerit ille, qui caterorum nor-
ma & regula esse debet. A sensu ad mores
transfertur oratio, proponuntur summa ca-
pita muneris Episcopalis: & num ea ser-
uare, in eis que sese exercere ac elabo-
rare velit, ab eo summo exequitur studio.
Maximè num tam exhibere paratus
sit, ut dicit Bernardus, quàm exigere
obedi-

obediētiam: vt tantam occupaturus
 sedem, illud recognoscat primus Cē-
 turionis: Et ego, *inquit*, sum homo
 sub potestate, habens sub me milites.

*Ad Henricū
 Senonensē
 Archiepū
 epist. 42.
 Lucæ 7.*

Vt prius agnoscat se hominem quā
 potentem, quo propriæ subiectionis
 experimento discat sua moderari im-
 peria. Nam & conditor Cæsaris, Cæ-
 sari non cunctatus est reddere censū.

Matth. 22.

Quæ enim sunt, à Deo ordinata sunt.

Romæ. 13.

Viderint ergo huius rei disuasores,
 quale sit DEI ordinationi resistere.
 Plurimum se Episcopo deferre putāt,
 cum eum Christo præferre conantur
 ipso reclamante, Non est seruus ma-
 ior domino suo. Quod non dignatus

Ioan. 13.

est magister & dominus, talis præfer-
 tim, indignum sibi iudicabit seruus
 bonus, & deuotus discipulus? Stupē-
 da insania. Animarum non cunctor
 turbas mihi custodiendas colligere,
 & vnum super me grauior proprium
 habere custodem? Illi etsi honorant,
 onerant, hi non tam premunt, quàm
 protegunt. Quis dabit mihi centum
 in mei custodiam designari pastores?
 Quanto plures sentio mei custodia

gcre

gerere, tanto securior ex eo in pasqua. Principem te constituerunt, esto inter illos tanquam vnus ex illis. Vt te putemus tanquam vnum ex illis, videamus te tam exhibere paratum, quàm exigere obedientiam: videam⁹ tam libenter præpositis obtemperare subiectum, quàm imperare subiectis. Quod superiori non præstitisti, ab inferiori non petas.

Interrogatur ergo, Num ea, quæ in diuina scriptura legit & intelligit, plebem cui præferendus est, & verbis & exemplis docere velit? Num Traditiones orthodoxorum Patrum, ac decreta Sanctæ & Apostolicæ Ecclesiæ, & ipse seruare, & alios studiosè docere, propositum habeat? Num ipse superiori potestati beati Petri, eiusque successorum, penes quem summam regiminis sui primus & summ⁹ Pontifex reliquit Iesus Christus; per fidē, subiectionem, & obedientiam, secundum Canonum auctoritatem, more & lege veteri sese subijciat? Num mores ab omni malo temperare, & quantum poterit, domino adiuuante, ad
omne

omne bonum commutare; castitatem & sobrietatem, cum Dei auxilio custodire & docere: diuinis negocijs mancipari, & à terrenis negocijs & lucris alienus esse: ne scilicet oculos, qui moderandis gressibus præeunt, cura pulueris obscuret? Caput namq; subiectorum sunt cuncti, qui præeunt: & vt rectè valeant pedes itinera carpere, hæc proculdubio caput debet ex alto prouidere; Num humilitatem & patientiam in seipso custodire, & alios docere velit? pauperibus item & peregrinis, omnibusque egentibus, propter nomen Domini affabilis & misericors esse?

Quæ omnia ubi ille sancte, & bona fide seruaturum se, quantum humana fert conditio, promiserit: summa eius oneris, quod subeundum est, ob oculos illi, tanquã in compendio, ponitur: Episcopum oportere iudicare, interpretari, consecrare, ordinare, offerre, & baptizare. Quod onus cū non sit humanarum virium, sed & Angelicis ipsis humeris sit sublimius, cū ab eo solo nobiscum portari possit, à quo est omnis sufficientia nostra: conferunt se omnes, ^{2. Cor. 8.}
Conse-

Ephes. 2.

Consecrator, simul Sponsus, Pronubi, ac tota Ecclesia, ad communem orationem. Et ut se recognoscant esse ciues sanctorum domesticos Dei, populum superna Hierusalem, adiungunt orationes & supplicationes sanctorum: ut quod eorum fragilitas non potest, istorum victorialis autoritas impetret: ut qui iam sunt securi de suis, sint solliciti de nostris. Super novum igitur sponsum, prorum ante conspectum Dei iacentem, Deum Patrem, ac Christum Dominum exorant: : ut illi viro, utilitati Ecclesie providens, benignitas omnipotentis diuinæ gratiæ suæ tribuat largitatem ut illum benedicere, sanctificare, & consecrare ipse dignetur.

Quo loco diligenter mihi sunt commo-
nendi illi, qui aliquando hoc tantum mu-
nus subire debebunt: ut non tùm primùm
ubi ad diuinum sistuntur Hierarcham, de
his ipsis muneris & functionis suæ parti-
bus cogitent: hisque rebus, quæ illis creden-
da, seruanda, docenda, vindicanda propo-
nuntur, sed longè ante vires suas explo-
rent. Si enim tunc primùm, inquit,
Bernardus, hæsitare incipias, id quidē
serò.

De confide-
ratione li. 2.
Luca 14.

ferò. Ante, iuxta consilium Saluatoris, sedisse debueras, ante æstimasse opus, metiri vires, ponderasse sapientiam, merita comparasse, sumptus computasse virtutum. *Quid enim indignius est? quid maiore pœna dignum? quam in conspectu Dei & Angelorum eius, in conspectu Ecclesie uniuersa, id se scire profiteri, quod ignores: id velle, quod nolis: id posse, quod nullo modo possis? Non tum igitur hæc talia cogitanda sunt, dum iam diuino astamus Altari: sed tum ambitiosè discurremus, preensamus, cælum & terrã, modò optatis potiamur, miscemus. Neque enim erit ad eò desperatus & perditus animus: qui si maiestatem & amplitudinem earum rerum secum diligentius considerauerit & expenderit, qui non concidat, qui se dare præcipitem velit, qui sententiam futuri iudicis, quam veluti manus sua subscribit, non exhorrescat. Ne illud exaudiat: Nescis quid petis. Tu quidem Matth. 23 coram me, atque Ecclesia hac, ore tuo profiteris, te velle & posse calicem meum bibere: vitam & mores meos imitari: curã & sollicitudinem meam, quã in pascendis*

omnibus

ouibus meis suscepi, studio & diligētia tua
 exprimere, crucem meam ferre: cor autem
 tuum totum in vana gloriæ studio occupa-
 tum, in lucro & questu detentum, omni li-
 bidine & cupiditate ardens, ab his tuis pro-
 missis est alienissimum. Ut autem hi tam
 sublimes honores in eius vanitatis homi-
 nes conferantur, non est voluntas Patris
 mei: hæc ipsæ sedes & dignitates, alijs
 moribus sunt preparata à Patre meo: Et
 hos quidem Consecratores tuos, tanquam
 homines, diuini sensus & summa rationis
 ignaros, fallere poteris: deum autem, apud
 quem conscientia nuda est, quem ignota
 non transeunt, occulta non fallunt, qui cog-
 nitor est secretorum & scrutator cordium
 fallere nunquam poteris. Est profectò hic
 metus omnium maximus, hoc periculum
 omnium extremum: huic quidem certè,
 qui & opera præclare nauatæ magnitudi-
 nem, & rei infelicitè gesta, miserum &
 perniciosum exitum intelligit.

Iuuat hoc loco apponere partem eius
 examinis, quam secum inibat, priusquam
 Pontificatum præhenderet, magnus ille
 Theologus Nazianzenus: ut sit quasi nor-
 ma & exemplum, quod unusquisque no-
 strum,

strum, priusquam ad tantum munus accedat, secum expendere debeat. Quo tandem modo externum illud sacrificium, illud magnorum mysteriorum exemplar, præfidenti animo ipsi offeram, aut quo modo Sacerdotis habitum nomenque subibo, priusquam manus pijs actionibus consecrâro; priusquam creaturis recte & sane, atque ad creatoris solum admirationem, non autem ad detrimentum, oculum aspiciere assufecero; priusquam disciplinæ Domini aures satis aperuerò, ac mihi adijcietur auricula nequaquam durè audiens, aureaque in auris precioso Sardio adstricta: hoc est, sapientis sermo auri benè audienti: priusquam ore, labijs, & lingua, ita meipsum compâro, vt & ore aperto spiritum traham, aut in mysteriorum dogmatumque pronuntiatio-
ne, dilatato impletus spiritu fuero: & labia; vt Sapientiæ verbis vtar, diuino sensu constricta habuero, addam etiam tempestiuè soluta: & denique lingua exultatione perfusa erit diuinæque melodiæ plectrum effecta ad

In Apologético primo.

Missæ Sacrificiū quomodo offerendū

Psal. 118.

Psal. 8.

Eccles. 21.

D

Dei

Psal. 56.
Psal. 136.
Psal. 17.
Psal. 39.

Psal. 72.
Rom. 6.
Psal. 11.
Proverb. 22.

1. Cor. 2.
Psal. 26.
1. Cor. 3.

Dei gloriam celebrandum sese exci-
 tans, simulque cum eo diluculo ex-
 urgens, ac præ labore faucibus ipsis
 adhærens: priusquam pedes meos cer-
 uorum ritu instructos & præparatos,
 ad petram firmâro; pioque & Deo
 gratos incessus meos ita directos ha-
 buero, vt nec tantillum temporis;
 nec vlllo modo effundantur; prius
 denique quàm omnia corporis mē-
 bra iustitiæ arma facta erint, omnē-
 que mortalitatem abiecerint, à vita
 absorptam, spirituique loco ceden-
 tem? Ecquis porrò antequam puris et
 ignitis Dei eloquijs cor perustum ha-
 buerit, (id quod fit, cùm scripturæ ip-
 si aperiuntur) eaque super latitudinē
 cordis trifariam descripserit? vt Chri-
 sti mentem habeat, atque in thesau-
 ros promiscuæ multitudini abditos,
 inuisibiles, ac tenebrosos penetrarit:
 vt opes in ipsis conditas intueatur,
 aliosque locupletes & copiosos effi-
 cere possit, spiritualia spiritualibus
 conferens? Ecquis antequam Domi-
 ni beneplacitum, ita vt par est, perspe-
 xerit, templumque eius visitauerit;

vel

vel potius Dei viui templum viuum factus fuerit, Christique in spiritu domicilium? Ecquis antequam figurarum & veritatis cognationem & discrimen agnouerit, ab illisque secedens huic se adiunxerit: vt literæ vetustatem fugiens spiritus nouitati seruiat: atque à lege, quæ in literæ abrogatione & abolitione spiritualiter expletur, ad gratiam purè planèque transfiliat? Ecquis antequam & vitæ probitate, & speculatione, per omnes Christi appellationes ac vires & facultates, tam sublimiores illas ac primas, quàm quas postremò humilioresque subiit, perrexerit, nimirum Dei, filij, imaginis, verbi, sapiētiae, veritatis, lucis, vitæ, potentiae, vaporis, defluctionis, splendoris, factoris, regis, capitis, legis, viæ, portæ, fundamenti, petrae, margaritæ, pacis, iustitiæ, sanctificationis, redemptionis, hominis, serui, pastoris, agni, Pontificis, victimæ, primogeniti ante creaturam, primogeniti ex mortuis, resurrectionis? Ecquis, inquam, has res & nomina incassum audiens, necdum commer-

Psal. 44.

1. Cor. 2.

1. Cor. 3.

Heb. 5.

*Nemo sapiens
leto animo creatur
Episcopus.*

cio vlllo cum verbo habito, nec ipsius quatenus vnumquodque horū verō nomine appelletur, particeps factus? Ecquis denique antequam quieto animo, atque ab huius vitæ negocijs tranquillo fuerit, Dei quæ sapientiam illam inquam, in misterio reconditā, accipere norit; sed ætate adhuc tenera sit lacte quæ alatur, nec inter Israelitas adhuc numeretur, nec in Dei castris acie quæ recenseatur, nec Christi crucem virilibus humeris ferre queat, imò nec præstantius fortasse aliquod corporis membrum sit, læto tamen alacri quæ animo se Christi Ecclesiæ in caput constitui patietur? Nemo profectò, qui quidem consilio meo ac iudicio standum putabit. *Ex quo ex arvine, illud tandem colligit & concludit: Ac proinde, inquit, sic mecum ipse loquebar: Alius mercaturæ causa nauiget, & longa maria transmittat, & cum ventis fluctibusque perpetuò colluctetur; magna vel operæ precia factururus, si ita casus tulerit, vel pericula aditurus, quisquis nimirū vel nauigandi peritia, vel negociandi arte ex-*

te excellit. Mihi verò melius atque *Tranquillā*
 optabilius est in terra quietem habē. *vitam parçē*
 ti, atque exiguum aruum & dulce sul *ac durius a-*
 canti, & lucra & mare procul salu *gere præstet,*
 tanti, exiguo ac rigido pane vitam, *quàm Epif-*
 ut *copum esse.*
 potero, sustentare; eamque tutam
 tranquillamque ducere, quam ob in-
 gentes quæstus graue diuturnumque
 periculum subire. Quemadmodum
 enim magno & excelso viro detri-
 menti loco habendum est, res mag-
 nas nō aggredi, nec virtutem ad mul-
 tos propagare, sed in paruis leuibuf-
 que rebus defixum hæere, ac velut
 magno lumine paruum domum il-
 lustrare; aut virilibus armis puerile
 corpus obtegere: ita contra paruo ho-
 mini securitas in eo consistit, vr non
 magnoperè sese oneret, nec grauiori,
 quàm eius vires ferre queant, sarcinæ
 caput supponens, simul & riden-
 dum sese propinet, & in periculum
 conijciat; quemadmodum scilicet *Lucæ 14.*
 nec alij cuiquam turrim ædificare cō-
 uenit, quàm ei, cui ad eam prorsus
 absoluendam suppetunt facultates,
 vt scriptura testatur. Meliusque est

alijs, qui artis peritia præstent, habenas nostri concedere, quàm indoctos & imperitos aliorum aurigas esse præstareque, candidam aurem submittere, quàm stolidam linguam mouere. *Hæc Nazianzenus.*

Verùm dicet quis: sponte tantus honor ad me defertur, omnis cognatorum & agnatorum manus cogit vimque adfert, de mentemque fore prædicat, si tantam repudiauero dignitatem: at is vocat, penes quem est legitima vocandi potestas & auctoritas. Huic verò homini hæc venustissima respondet similitudine Chrysostomus: Etenim quæro ex te, si quem iuspiciamus fabrum esse, ad opus vocemus, sequaturque ipse; deinde manus ad mouens materiæ ad ædificium paratæ, ligna, itemque & lapides auertat, opus autem sic coagmentet, sic domum ædificet, vt statim collapsura ea sit, num ille sese abunde hac defensione tutaturus est, si dixerit, ab alijs se coactum, non etiam vltro ad ædificandum accessisse? Certè nequaquam idque iure optimo: oportebat enim vel alijs ad id vocantibus pedem referre

Lib. 4. de
sacerdotio.

ferre ac tergiuersari. Itane verò qui ligna ac lapides auertit faber, huic nullus prorsus suffugij locus, quominus poenas pendat; qui verò animas negligenter ædificans perdidit, hic cine alienam vim abundans sibi suffugium præsidiumq; putabit? & quo id pacto non valdè ineptum atque absurdum? nondū enim adiicio, nolentem à nemine compelli posse: sed & ipsum volo vim fuisse immodicā perpeffum, artibusque varijs circumseptum, vt in retia caderet. Hoc cinè igitur illum à supplicio eximet? ne obsecro, ne eo vsque nobis imponam, neque simulemus ignorare nos ea, quæ vel admodum pueris nota esse possunt: reuera enim quum rationis reddendæ tempus aderit, ignorantia simulatio hæc nihil nobis allatura est præsidij. Principatum huiusmodi nihil ipse ambiuisti, imbecillitatis tuæ conscius? Probè id ac rectè. Oportebat ergo cum eodem hoc consilio, vocantibus etiam alijs, tergiuersari. Anne quum te nullus vocaret, imbecillus tu, ac minimè idoneus eras, vbi

primum verò comperti sunt, qui honorem ad te deferrent, derepente in valentem atque idoneum euasisti? Certè huiusmodi res deridicula profus ac nugatoria est, eademque extremo etiam supplicio digna. *Hæc autem proferentes, non eos, ut cum Gregorio Romano Pontifice loquar, qui rectè possint deterremus, sed ab appetitu tanti oneris cordis infirmitatem munimus, ne imperfecti quoque culmen arripere regiminis audeant: & qui in planis stantes titubant, in præcipitio pedem ponant.*

Absoluto fidei examine, augustiore sibi que peculiari magis nouus Sponsus induitur habitu. Calceatur pedes ad annunciandum Euangelium pacis: ut eat, non stet: laboret, non ociosus delitescat. Induitur interioribus quibusdam tunicis, interioris & occultæ deuotionis, innocentia & integritatis perfectionem denotantibus: cuius solus Deus purarum animarum vnicus sponsus inspector est: & cuius suauitatem illi soli norunt, qui experiuntur: intus enim est qui iudicat, intus quod iudicatur, ut internorū cura in externorū nimia occupatione nō minuatur. Induitur itē Dalmatica, la

ca, *latas manicas habente*. Oportet n. Epūm, sicut Dei dispensatorem, hospitalē esse, benignum, liberalem, non turpis lucri cupidum. *Maiores enim peculij dispensatorem plura expendere oportet: qui diuitias opēsque veras esse putet, si non studio omni aliena bona corradat: sed uti indigentium penuriam sua liberalitate adimat, qui sua cōmoda propinquorum bona deputet*. Egentis enim mentem, doctrinæ sermo non ita facile penetrat, *inquit Gregorius, si hunc apud eius animum manus misericordiæ non commendat. Tunc autem verbi semen facile germinat, quando hæc in audiētis pectore pietas predicantis rigat. De quo illud dicatur: Dispersit deditque; Non fisco, non Heretico, potenti & non factioso civi, non carni & sanguini, non tenaci, & quæ nunquam compleri potest, arca: tanto minus non libidini & cupiditati, sed dispersit dedit pauperibus: hoc est, seminaria futuræ pietatis & eruditionis extruxit, adolescentes præstantes ingenio quàm plurimos domi, forisque opibus suis educavit: Paræcijs desertis ac depopulatis Pastores & Sacerdotes*

D s suis

Titul. I.

In secunda
parte pastor
lis, cap. 7.

Psal. III.

suis copijs aluit: redeūtes ab errore, benignè & liberaliter suscepit: captiuos redemit virgines orbas elocauit: peregrinos hospicio suscepit, viduis, orphanis, morbo ac ætate fractis opem tulit: Disperfit, dedit pauperibus: iusticia eius manet in seculum seculi; cornu eius exaltabitur in gloria. Fœnus hoc solū, inquit san-

Epist. 1. c. 4. Etus Leo, aspicere & exercere debem⁹; vt quod hīc misericorditer tribuimus, ab eo domino, qui multipliciter & in perpetuum mansura retribuet, recipere valeamus. Neque enim nos hereditate possedimus Sanctuarium Dei, sed aliena sortis dispensatores sumus.

*Lib 2. de cō- Cuius peculijs vsus quidem inquit Ber-
federatione. nardus, est bonus, ab usio mala, sollicitudo peior, quæstus autem turpissimus.*

Dispensationis autem huius, inquit Chrysostomus, modus ille, si Ecclesiasticæ facultates neque redundant, neque temporibus necessarijs desint. Verum de munificentia Pastoris satis.

Adiicitur autem ornatus hic super Sacerdotalem habitum, ad indicandas eas actiones atque operationes, quas ipse præter

ter alios sacerdotes, peculiari quodam modo exercere solet: quales sunt illa, ultra regiminis, doctrinae ac iurisdictionis rationem: quas ex Graecis Areopagita, ex Latinis verò Leo Papa, ex antiquissimo ritu recensent. Presbyterorum (ut eorum verbis utar) & Diaconorum, atque Virginum consecratio, constitutio Ecclesiae atque Altaris, benedictio item eorundem & unctio per impositiones manuum fidelibus baptizandis, vel conuersis ex heresi, paracliti Spiritus sancti traditio: quale item est Chrisma conficere, Chrysmate baptizatorum frontes signare, publicè in Missa poenitentes reconciliare, formatas Epistolas mittere. Hac enim omnia illicita sunt Choro episcopis atque Presbyteris, (inquit sanctus Leo) qui ad exemplum & formam septuaginta discipulorum esse noscuntur: qui quanquam Consecrationem habeant, Pontificatus tamen apicem non habent.

Quae omnia solis deberi summis Pontificibus, auctoritate Canonum praecipitur: ut per hoc, & discretio graduum, & dignitatis fastigium, summi Pontificis demonstratur. Sed neque coram Episcopo licet Presbyteris in baptisterium introire: nec praesente

De Ecclesia
 stica Hierar.
 cap. 5. Leo
 Epist. 88.

sente Antistite infantem tingere, aut signare: nec pœnitentem, sine præceptione Episcopi sui, reconciliare: nec eo præsentem, nisi illo iubente, Sacramentum Corporis & sanguinis Christi conficere: nec eo corâ posito populum docere, vel benedicere aut salutare, nec plebem utique exhortari.

Sic igitur vestito & ornato sponso, à fide fit transitus ad sacramentum: transfert se sacer Consecrator ad eas operationes, quæ verè sanctæ sunt, sanctosque efficiunt: quæ ex antiquissima & Apostolica traditione, sacris primùm signis & actionibus, deinde mysticis vñtionibus continentur. Actiones & signa sacra, à Dionysio, tantorum mysteriorum diuino interprete, hæc numerantur.

In eodē quin-
to capite.

Primum, ἡ πρὸς τὸ θεῖον θυσιαστήριον προσαγωγή. καὶ ὑπόπτωσις. hoc autem est, aditus ad diuinum altare, ac submissa genuū inflexio. Quod signum, & actionem designare docet, Eum qui instituitur Pontificali cōsecratione, vniuersam suam vitam, omnemque mentis integritatem, DEO summo ac primo consecratori subijcere & resignare debere: ad eiusque nutum & voluntatem

tatem eam peragere, castissimumq̄;
Deoq̄; dicatum aditum, qui dignus
fit & conueniens, quantum fieri pos-
sit, diuino, sanctissimo, ac sacro Alta-
ri, ad quod mentes, quæ diuinam spe-
ciem præferunt, consecrantur.

*Secundum signum & actio, est ἡ τῆς ἱε-
ραρχικῆς χηρὸς ἐπιθεσις: id est, Sacri Hie-
rarchæ, ac reliqui collegij manum im-
positio, Tangit enim Princeps consecra-
tionis Pontifex, ac deinde ceteri om-
nes, illius qui consecratur caput, ma-
nusque illi imponit, quod signum & actio,
primum diuinum, vt idem inquit Di-
onysius, præsidium declarat: quo, tan-
quam sancti pueri, illi qui consecrā-
tur, patris charitate foueri solent, il-
lisque facultatem ac vim Ecclesiastici
ordinis tuendi largitur, contrarias-
que potestates procul ab eis arcet.
Docet deinde omnia officia & mu-
nera sacri Ordinis exequi, eos qui cō-
secrantur; vt sub Deo agentes, eum-
que omnium suarum actionum ha-
bentes ducem in omnibus.*

*Tertium signū est, ἡ σταυροειδὴς σφραγίς
id est, crucis obsignatio, quæ significat om-
nium*

rium animi simul corporisque cupiditatum
 cessationem, diuinamque vita imitationem,
 immoto oculo aspicientem Christum cru-
 cifixum, qui ad crucem usque & mortem
 expers omnis peccati peruenit: eosque qui
 ita viuunt, ut eum imitentur, carnemque
 suam cum illo crucifigunt, quod crux ista
 designat, sibi similes participes libertatis
 suae a peccato efficit, obsignans eos sigillo
 & imagine crucis, iustitiae & innocentiae
 suae. Quid enim est aliud hac crucifixi ima-
 go, quam forma & exemplar perfectum
 mortificationis omnium cupiditatum no-
 strarum? In hoc enim ligno omnia deside-
 ria nostra, omnes nimiae sollicitudines, om-
 nes cupiditates nostrae, confixae & mor-
 tuae sunt, Quae enim ambitio sanari po-
 terit, quam haec ipsa incredibilis humili-
 tas Christi in cruce pendentis non sanat?
 Quae auaritia curari, quam haec nuditas
 ac plane extrema paupertas non curat?
 quae libido extinguatur, quam haec ipsa arida
 faces felle & aceto imbutae, salutis nostrae
 non extinguunt? Vnde Bernardus. Singuli
 Epistola 42. inquit, illiciti motus animi mei, sin-
 gula sunt in te Deus conuitia, ut puta
 iracundiae motus in mansuetudinem
 tuam,

tuam, inuidiæ in charitatem, luxuriæ in sitim tuam, cupiditatis meæ in nuditatem, fastus in tuam extremam humilitatem.

Quartum sacrum symbolum est sacra- que actio, huicque ordini quasi propria & peculiaris, & quæ in nulla alia consecrati- one adhiberi solet, præter eam quæ Pontificis est, ἡ τῶν λογίων ἐπὶ κεφαλῆς ἐπιθεσις: hæc autem est, sacrorum librorum super caput et humerum eius qui consecratur, sanctis- sima impositio. Cuius modum & rationem sic explicat Carthaginen. consilium: Duo assistentes Episcopi, ponunt & tenent Euangeliorum codicem super caput & cervicem eius qui consecratur, & vno super eum fundente benedicti- one. reliqui omnes qui adsunt, mani- bus suis caput eius tangunt. Quid au- tem sibi ea actio velit, diuinus explicat A- *Ibidem*
reopagita: Quoniam, inquit, perficiens omnis sacerdotij vis & scientia, à di- uina mysteriorum auctore bonitate diuinis Pontificibus datur, iure ac merito in capitibus Pontificum, scri- pta diuinitus tradita ponuntur, quæ compendio scienterque omnem The- ologi-

ologiam, omnem Dei operationem, doctrinam sanctam, diuina & sacra verba & opa, orationes & actiones, quas Hierarchia nostra habet Dei benefici concessu ac munere: quod diuinus Pontifex, omni quidem facultate quæ Pōtifice digna est præditus, esse debeat: & omnium sacrarum interpretationum atq; factorum, quæ Hierarchiam attingunt, vera atque à DEO tradita scientia non illustrari modo, verum etiam alijs, vt Pontifici consentaneum est, tradere; perficereque diuinis scientijs ac summis, vt ita dicā promotionibus ex Pontificis dignitate omnia, quæ in tota Hierarchia maximam vim perficiendi habens. *Ex multis enim & varijs functionibus, quæ Episcopum attingunt, illa propria ac quasi peculiaris est, Euangelium prædicare: vt potens sit, inquit Paulus, in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere. Itaque in prisca illa & veteri Ecclesia, nemo hoc docendi pulpitem conscendebat, nisi is qui Episcopus esset: vel si forte aliqua summa infirmitate præpediebatur, Presbytero quidem cuiquam hoc*

Titum I.

hoc munus delegabat: ita tamen, ut ipse eius doctrinae testis & iudex interesset. Itaque agri etiam Pötifices, nonnunquam in lectis ad templum adferebantur, ut eius doctrinae quae populo tradebatur, testes & arbitri interessent: ne quid illis inscijs atque incautis, haereticae labis & pestis subreperet. Non in capite autem tantum sacer Codex Episcopi ponitur, sed in humero etiam. ut primus ipse hoc iugum subeat, ac in societate Iesu Christi trahat: ut populo Dei more sancti Mosis, atque adeo Iesu Christi praeeat, ac viam per huius vitae turbulentum pelagus pandat, angustamque illam semitam & asperam, primus terat ac muniat. Ut illud possit dicere cum Christo: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Exemplum enim dedi vobis; ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Et illud Pauli: Imitatores mei estote, quemadmodum ego Christi. Nam si pastor, inquit Gregorius; per abrupta graditur, grex profectò ad praecipitia sequetur. aut qua praesumptione percussum mederi sperat, qui in facie vulnus portat? tantumq; debet actionem populi actio

E trans-

Matt. 11.

Ioan. 13.

1. Cor. 4.

Prima parte
pastoralis,

cap. 2.

transcendere Præsulis, quantum distare solet à grege vita Pastoris. Qui enim loci sui necessitate exigitur summa dicere, hac eadem necessitate cōpellitur summa monstrare; ne subditi in exemplo eius qui præest, quasi in obstaculo itineris offendant. Sacerdotes nanque vocamur, quòd ideo præsumus, vt sacrum ducatum fidelibus præbeamus: nullique illicitum videtur. *inquit Ambrosius*, quod ab Episcopo quasi licitum perpetratur.

De dignitate
Sacerdotali,
cap. 6.

Quinta & ultima diuina est actio, quem sacer Dionysius τὴν ἀνάσσειν: hoc autem est, vt sacrum exponit Carthaginien. Concilium, eam quæ super eum qui consecratur funditur benedictionem: quæ talis est: Propitiare, inquit, Domine supplicationibus nostris, & inclinato super hunc famulum tuum cornu gratiæ Sacerdotalis, benedictionisq; tuæ in eum infunde virtutem. Prorupit quæ sacer Antistes in diuinas laudes, eum esse honorem omnium dignitatum, qui gloriæ eius sacris famulantur ordinibus. Qui per Moysen famulum

lum suum, secreti familiaris affatu; inter cætera cœlestis documenta culturæ, de habitu quoque indumenti sacerdotalis instituens, electum Aaron mystico amictu vestiri inter sacra iussit; vt intelligentiæ sensum de exemplis priorum caperet secutura posteritas: ne eruditio doctrinæ eius vlli deesset ætati. Cùm & apud veteres reuerentiam, ipsa significationũ species obtineret, & apud nos certiora essent experimenta rerum, quàm enigmata figurarum. Illius nanque Sacerdotij anterioris habitus, nostræ mentis ornatus est; & Pontificalem gloriam non iam honor commendat vestium, sed splendor animarum. Quia & illa quæ tunc carnalibus blandiebantur obtutibus, ea potius quæ in ipsis erant intelligenda poscebant:

Precatur deinde, Vt ei famulo suo, quem ad summi Sacerdotij ministerium elegit, eam gratiam largiatur: vt quicquid illa velamina in fulgore auri, in nitore gemmarum, & in multimodi operis varietate significabãt,

hoc in eius moribus actibusque
 clarescat. Ut compleat in Sacerdote
 suo ministerij sui summam, & orna-
 mentis totius glorificationis instru-
 ctum, cœlestis unguenti rore sancti-
 ficet. *Atque ita deinceps se ad sacras con-
 fert unctiones. Significat autem ea* αὐτὰ πρὸς
 σκρ. *sine sacra precatio, ut idem inquit Di-
 onysius, Deo charum consecratorem
 interpretem, esse diuinæ creationis
 siue electionis; qui non suo munere
 eos qui consecrantur, ad Ecclesiastici
 ordinis honorem virtutemque effe-
 rat; sed diuini numinis instinctu agi-
 tatus in omnibus consecrationibus
 quæ Pontificem attingunt. Cum au-
 tem sanctificatio, ut inquit Magnus Ba-
 silius, sine spiritu non sit: cum & cœlestes
 illæ angelicæ virtutes, quæ natura quidem
 sanctæ non sunt, sic enim nullam haberent
 differentiam ab eo spiritu, qui solus natu-
 ra sanctus dicitur: secundum proportione
 tamen suæ dignitatis & excellentiæ, san-
 ctificationis suæ modum & mensuram ab
 eodem spiritu sancto accipiant. Hic enim
 est digitus Dei, per quem omnia solidan-
 tur: hac est superna illa & cœlestis unctio,
 qua*

De spiritu S.
 cap. 16. &
 epist. 79.

Luce 11.
 1. Ioan. 2.

que docet omnia: hic est ignis purissimus, qui mundat, purgat, & sanctificat ea vniuersa, que sancta sunt. Proinde diuinus Antistes creatore Spiritu, super eum que sacrat, inuocato, ad sacras vnctiones se confert: vt ostendat, hunc ipsum qui sacratur ministrum, & vicarium illius fore, quem vnxit Deus oleo letitie prae confortibus suis.

Psal. 44.

Vngit autem primum caput eius, cum ea prafatione: Hæc vnctio, inquit, Domine copiosè in caput eius influat: hæc in os subiecti decurrat, hoc in totius corporis extrema descendat: vt tui spiritus virtus & interiora eius repleat, & exteriora circumtegat. Abundet in eo constantia fidei, puritas dilectionis, securitas pacis: Sint speciosi munere tuo pedes eius, ad Euangelizandum pacem, ad Euangelizandum bona. Da ei Domine ministerium reconciliationis in verbo & in factis, in virtute signorum & prodigiorum: Sit sermo eius & predicatio non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis. Da ei domine clauces regni cœlo-

Psal. 132.

Rom. 10.

2. Cor. 12.

1. Cor. 2.

Matt. 16.

E 3 rum,

tum, vt vtatur, non vt glorietur po-
 testate; quam tribuis in ædificatiōe,
 non in destructionem. Quodcunq̃
 ligauerit super terram, sit ligatum &
 in cœlis; & quodcunq̃ soluerit in
 terris, sit solutum & in cœlis. Quo-
 rum detinuerit peccata, detenta sint;
 & quorum demiserit, tu demittas.
 Qui maledixerit ei, sit ille maledict⁹;
 & qui benedixerit ei, benedictioni-
 bus repleatur. Sit fidelis seruus & pru-
 dens, quem constituas tu domine
 super familiam tuam, vt det illi cibū
 in tempore oportuno, & exhibeat
 omnem hominem perfectum; sit sol-
 li citudine non piger, sit sp̃itu fer-
 uens; oderit superbiam, humilitatem
 ac veritatem diligat, neque eam vn-
 quā deserat, aut laudibus, aut timore
 superat⁹. Nō ponat lucē tenebras nec
 tenebras lucē; nō dicat malū bonū,
 neque bonum malum. Sit sapienti-
 bus & insipientibus debitor, vt fru-
 ctum de profectu omnium conse-
 quatur. Tribuas illi Domine Cathe-
 dram Episcopalem, ad regendum Ec-
 clesiam tuam & plebem sibi commis-
 sam:

fam; sis ei auctoritas, sis ei potestas, sis ei firmitas. Multiplica super eum benedictionem & gratiam tuam, vt ad exorandam semper misericordiã tuam, tuo munere idoneus, & tua gratia possit esse deuotus.

Ac deinceps interpositis alijs orationibus, ac publico Ecclesie cantu, ad vñctionem manuum eius accedit: quas item cū ea postulatione inungit: Deus & pater domini nostri Iesu Christi, qui te ad Pōtificatº sublimari voluit, dignitatem ipse qui per Samuelem Dauid in Regem & Prophetam inunxit, te nostro ministerio Chrismate & mysticę delibutionis liquore perfundat, & spiritalis benedictionis vbertate fecundet, vt quicquid benedixeris, benedicatur: & quicquid sanctificaue- ris, sanctificetur; & consecratarum manuum istarum impositio, cunctis proficiat ad salutem. Neque verò frustra, aut sine causa tam prolixis, tam frequenter repetitis precibus, hic ipse qui consecratur, Deo omnium bonorum auctori & largitori commendatur: Plus enim,

1. Reg. 26.

In primū ca.
ad Titū ser-
mo 1.

bus indiget, quàm cæteri omnes. Nā quanto est celsior dignitas, tantò Sacerdotis maiora sunt pericula. Sufficit enim vel vnum Episcopatus rectè factum authorem suum in cœlū attollere, vnumq; peccatum in ipsum iniicere gehennæ profundum. Nam qui in ordine priuato, parum religiosus erat, multò profecto magis id patitur, cùm Ecclesiæ gubernacula regenda susceperit; quippe tum & inanis gloria vehementius imminet, & pecuniæ amor & fastus; cùm principatus ipse præstet licentiam offensionis & cõtumeliæ, atque maledicta, & alia prorsus innumera. Votis itaque omnib⁹ optandū, vt qui antea pietate prædit⁹ fuerat, talis permaneat suscepto munere administrationis.

Hæc Chrysostomus.

Vngitur autem futurus Hierarcha primum in capite, per quod mens eius designatur: quo admoneatur, vt diligat Deum ex toto corde suo, & ex tota anima sua, & ex omnibus viribus suis: & proximum suum, sicut seipsum: quarum rerum omnium, caput fons est & principium. Deinde, vt aucto-

auctoritas & dignitas eius declaretur, eū Ephes. 5.
scilicet esse caput & Principem Ecclesie De dignitate
sue: quomodo vir uxori sue caput dictus Sacerdotali
est. Honor enim & sublimitas Episco cap. 2.
 palis, *inquit Ambrosius*, nullis pote-
 rit comparationibus adæquari; si Re-
 gum fulgori compares, & Principum
 Diademati, longè erit inferior, quàm
 si plumbi metallum ad auri fulgorè
 compares; quippè cum videas Regū
 colla & Principum submitti genibus
 sacerdotum, & exosculatis eorum
 dexteris, orationibus eorum se com-
 mendare & communire, qui item
 cornu suo Reges & Sacerdotes vn-
 gunt. Sed prouidendū est, *inquit Am-*
brosius, ne sit honor sublimis, & vita
 deformis: ne sit deifica professio & il-
 licita actio: ne sit religiosus amictus,
 & irreligiosus puectus; ne sit gradus
 excelsus, & deformis excessus: quia
 sicut nihil esse diximus Episcopo ex-
 cellentius, sic nihil est miserabilius, si
 de sancta vita Episcopus periclitetur,
 si Sacerdos in crimine teneatur. Nam
 quantò gradus altior est, tanto ruina
 grauior; honor grandis, grandiori de-

debet sollicitudine circumuallari. Ideo igitur prærogatiua honoris monstratur, vt merita congrua requirantur.

Vngitur demum in capite, vt ostendatur esse vicarius Christi: eiusque dignitatem & auctoritatem gerere, qui est super omnia: & quem constituit Deus caput super omnem Ecclesiam. Ideo Reges non iam in capite, sed in humero vnguntur: Primum, vt is proprius honor sit illius, quem Deus constituit excelsum super omnes Reges terræ, & quem oleo laticia excellentius & augustius unxit præ consortibus suis. Deinde vt ostendatur, quòd primò ante omnes Reges & Principes persona capitis Pontificali officio representetur, Vngitur tamen & Rex in humero, vt neque ipse planè excludatur à representatione eiusdem capitis: Nam & huius Principatus, vt dixit Esaias, fuit super humerum eius; & vt sciat se esse ministrum ad portandam crucem Iesu Christi: laudem bonorum, vindictam autem malorum.

Sed non caput tantum Pontificis vngitur, verùm & manus. Primum, propter officii-

Eph. 1.

Psal. 88.

Psal. 44.

Esa. 9.

Rom. 13.

officium & ministerium eius, ut se sciat dignitatem non propter ocium, sed propter negotium suscipere: ut sciat ex illo se numero operariorum esse debere, qui sustinent pondus diei & aestum. Demum, ut illis manibus adsit virtus Spiritus sancti, eas teneat & dirigat: cum illis laboret & operetur: ut quicquid benedixerit, benedicatur: quicquid sanctificauerit, sanctificetur: Quo certior fiat populus Christianus, dicente Episcopo aut Sacerdote: Ego te baptiso: ego te absoluo: non illum baptisare, non illum peccata relaxare, sed vntionem ipsam, sed eum Spiritum, cuius hac vntio signum est, omnipotentem virtute & presidio suo hac talia efficere. Item, cum accepto pane & calice, in ita consecratus manus, illa verba profert: Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus; non illum aliquid vi sua efficere, sed Spiritum sanctum descendere, & virtutem altissimi obumbrare: ut qui in utero virginis verum corpus et sanguinem eius admirabili & illi soli cognita virtute effecit idem sub speciebus panis & vini hoc idem efficiat. Quibus sacris Symbolis & mysterijs cum heretici careant, mirum esse non debet.

Math. 20.

Luc. 1.

debet, si ea quæ in Ecclesia Catholica certissima & facillima esse videntur, ab illis non intelliguntur: per exiguamq; vel nullam potius, his fidem habeant. Neque enim nos hæc humanis viribus aut meritis tribuimus, sed illi spiritui sancto, de quo David dixit: Emitte spiritum tuum & creabuntur; & renouabis faciem terræ.

Psal. 103.

Gal. 6.

Prouer. 31.

Cantic. 5.

Luce 12.

Vnguntur amplius manus eius qui consecratur, ut operetur bonum: ad omnes quidem, sed maxime ad domesticos fidei: ut manus suas mittat ad fortia: ut panem ociosus non comedat: ut manus eius distillent myrrham: ut sit beatus seruus ille, quem cum venerit dominus, inuenerit vigilantem & operantem.

Luce 6.

Matth. 7.

Vngitur autem sancto Chrismate, quod ex oleo & balsamo confici & temperari solet: ut per oleum quidem, nitor & puritas conscientie denotetur. Bonus enim homo, ex bono thesauro profert bona; & malus homo, de thesauro malo profert mala. Nec colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus. Non potest arbor bona malos fructus facere, & arbor mala bonos fructus facere. Gloria nostra, inquit Paulus, hæc est,

2. Cor. 1.

con-

conscientia nostra; *sed non gloria tantum, verum etiam omnium laborum suave condimentum: sed omnium rerum aduersarum tutissimus portus: sed contra omnes visibiles ac inuisibiles hostes munitissimum presidium, omnisque libertatis doctrinae amplissimus capus: sine qua qui docet, illud Dauidicum, quod aliquando magnum illum Origenem perteruerat, expauescat: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? tu autem homo peccator es. Cum videbas furem, currebas cum eo: & cum adulteris ponebas portionem tuam: Existimabas improbe, quod ero tui similis; arguam te, & statuam contra faciem tuam. Intelligite hæc qui obliuiscimini Deum, ne quando rapiat & non sit qui eripiat.*

Balsamo autem designatur odor bonæ fame: Eum enim qui sacerdotio fungitur, inquit Chrysostomus, odorem spirare optimum conuenit. Ut sit pastor sine crimine: ut habeat testimonium etiã ab his qui foris sunt: ut item luceat lux eius: quo videtes homines bona opera eius, glorifi-

Psal. 49.

In 2. Cap.

Ep. ad Tim.

Tit. 1.

I. Tim. 3.
Matth. 5.

glorificent Patrem qui in cœlis est: ut innocentia sua obstruat ora maleuolorum:

I. Tess. 5.

Sine qua eximia fama qui docet, eum altera quidem manu trahere, altera repellere dicebat magnus Nazianzenus. Ab omni specie mala, inquit Paulus abstinete vos: non à re tantum, sed specie etiam. Non sit in conscientia, inquit

Ei. 4. de cōsideratione.

Bernardus, nutans infirmitas modicæ fidei: non sit in fama næuus malæ speciei: ut sic duplicibus, interna scilicet maturitate & externa specie, vestiamur. Ut illud confidenter, ille qui forma est gregis, dicere possit: Sicut Balsamum

Eccle. 24.

aromatifans odorē dedi. Et illud Pauli: Christi bonus odor sumus in omni loco, ut sit flagrans & suavis odor

2. Cor. 2.

primogeniti Esau. Et hoc est, quod sibi

Gen. 27.

voluerunt tintinabula illa suspensa ex vestimento Aaronis sacerdotis, de quibus

Exod. 23.

precepit Dominus: Audiantur sonitus, quando ingreditur, vel egreditur, Sacerdos sanctuarium in conspectu domini, & non moriatur. Non alius certè

Leuit. 24.

sonitus, quàm excellentis laudis & gloria, ac omnium virtutum celebris prædicationis. Et ideo, & lege ipsa Dei cautum fuit,

ut is

ut is

ut is qui in Sacerdotum numero cēseri de-
 bebat, omni vicio, siue corporis, siue animi,
 careret, neue quid infamia in tota illius vi-
 ta haberet. Et à sacris Canonibus piē sta-
 tuitur, ut is qui ministerio Altaris addi-
 citur, non modo omni culpa & scelere care-
 at, sed etiam ab omni suspitione, aut opini-
 one sceleris, sit alienissimus. Teneatur, Epistol. 89.
& 103.
 inquit sanctus Leo, subscriptio Cleri-
 corum, honoratorum testimoni-
 um, ordinis consensus & plebis; qui
 præfuturus est omnibus, ab omni-
 bus eligatur. Ad cuius consecratio-
 nem nullus ambitus trahat, nulla se-
 ditio impellat, nulla iniquitas incitet
 sed in medium constituta meritorū
 sanctitate, ut cunctis ille propona-
 tur, quem sibi cuncti cupiunt præsi-
 dere. Populus enim Episcopum non
 optatum aut contemnit, aut odit.
 Sic igitur sanctissima Pontificalis unctio
 perficitur. In qua illud monet vetustissi-
 mus Canon, ut ea unctio ungetur Epis-
 copus, non tam in corpore quam in corde:
 ut & interiūs sit nitor conscientia, quo ad
 Deum: & exteriūs odor bonæ famæ, quo ad
 proximum. Neque verò nunc primum ea
 unctio

unctionis ratio est inuenta, sed iam ab anti-
tiquissimis primitiua Ecclesie temporibus
est usu & consuetudine cōprobata. Quod
vel ex Gregorio Nazianzeno constat: cu-
ius illa sunt, quibus parentem suum allo-
quitur, verba: Idcirco me, inquit, Pon-

In Apol. pō-
stea quā ex
fuga rediit.
set.

tificem vngis; ac podere cingis, capi-
tiq̄ue cidarim imponis, atque holo-
causti spiritualis Altari admoues, &
sanctificationis vitulum mactas, ma-
nusq̄ue spiritui consecras, & sancta
sanctorum spectatum introducis; ve-
riq̄ue illius tabernaculi, quod non
homo, sed Dominus construxit, mi-
nistrum facis; dignūmne verò, & vo-
bis qui vngitis, & eo propter quem
peragitur, & in quem tendit hæc vn-
ctio. perspectū hoc habet Pater veri
illius ac germani Christi, quem exul-
tationis oleo præ consortibus suis
perfudit, cum humanitatem diuini-
tatem perunxit, vt faceret vtraque vnū.
Et alio loco: Spiritu, inquit, res nostras
moderante, cui nos ipsos dedimus,
& caput nostræ initiationis, oleo de-
libutū à Patre omnipotente, & Filio
vnigenito, & spiritu sancto ac Deo.

Psal. 44.
Aphes. 2.
In oratione
ad patrē, cum
ei curam Ec-
clesie com-
mississet. 3

Et

Et hæcenus quidem peracta est Consecratio, confectum Sacramentum. Iamque ille qui consecratur, non amplius Electus, sed Consecratus appellatur. Quo in loco modicum insistamus. Sancti estote Patres mei, quoniam Dominus vester sanctus est. quoniam impositio manuum quæ facta est super capita vestra, sancta fuit: quoniam unctio qua uncti estis, sancta est: quoniam verba, signa, & operationes consecrationis vestra, non sancta modo sunt, sed sanctissima etiam. Sancti igitur estote & vos, dateque omnem operam, ne sancta impurè, sublimia demissè, honore digna turpiter, & ut uno verbo complectar, Spiritualia terrenè celebretis: ne hæc ipsa membra vestra, organa diuina, instrumenta ratione prædita: instrumenta quæ à præclaro artifice Spiritu sancto cõcinnantur atque pulsantur, ambitionis, cupiditatis, libidinis, ac turpitudinis arma efficiatis: ne templum Dei, tam sanctè consecratum, polluatis, ac contaminetis: ne parietes dealbati sitis, & dicamini: ne similes efficiamini sepulchris dealbatis, quod quondam Phariseis obiecit Christus Dominus, quæ à foris patent hominibus speciosa, intus ve

Luc. 23.

Matt. 23.

rò plena sunt ossibus mortuorum & spurcicia: ne omnia quidem sancta habeatis, ipsi autem prophani sitis. Audite quid dicat Dominus: Loquere ad Aaron;

Leuit. 21.

Parte prima

pastoralis ca-

pit. 11.

mo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offerat panes Domino Deo suo; nec accidat ad ministerium eius. Si enim homo apud hominem, inquit Gregorius, de quo minimè præsumit fieri intercessor, erubescit, qua mente apud Deū intercessionis locum pro populo arripit, qui familiarem se ei⁹ gratiæ per vitæ merita nescit? aut ab illo quomodo alijs veniam postulet, qui vtrum sit sibi placatus ignorat? Qua in re est formidandum, ne qui placare iram posse creditur, hanc ipse ex proprio reatu mereatur. Mundamini igitur qui fertis vasa Domini. Quia necesse est, ut mundas habere studeat manus, qui diluere aliorum sordes curat: ne tacta quæque deterius inquinet, si sordida in se mens lutum tenet. Et ideo in sacerdotali habitu ante omnia aurum fulget. Quid autem auro, quod cæteris metallis purius & preciosius est, designatur, nisi perfectio sanctitatis? Aurum igitur obscuratur optimū

2/4. 52.

tum terrenis actibus sanctitas vitæ polluitur. Moneat vos illud, quod ad montem ^{Thren. 4.} fumantem, neque ex populo quisquam, neque ex senioribus & Sacerdotibus populi, ^{Exod. 19.} sed neque Aaron atque filij eius, quamvis summa cura & diligentia purgati accesserunt, sed solus Moyses. Moneat exemplum Nadab & Abiud, quod novo duntaxat igne thura adoleuissent, novo quoque igne absumpti sunt: atque eodem tempore, & loco, quo nefario crimine se deinxerunt, perierunt: ac ne patrem quidem Aaronem primum apud Deum, secundum Moysen, tenentem locum, ipsos à periculo vindicare potuisse. Tum etiam id, quod Heli Sacerdoti, ipsi quidem viro bono, ^{1. Reg. 4.} mis tamen filijs indulgenti, accidit. ^{2. Reg. 6.} Moneat etiam funestus casus Oza, Arcam cadentem non expiatis manibus fulcire volentis. Sancti ergo estote, quoniam dux vester, & caput vestrum sanctum est: quoniam manibus carneis, diuina & caelestia tractatis: quoniam omnis integritatis et innocetia, estis duces & magistri. Sanctitatis vestrae, illam mensuram, illum modum, autem ponit S. Chrysoſtomus: Quanta, ^{Chrysoſt lib. 2. de Sacerdotio.} inquit ille, inter sese differentia homi-

nes rationis vsum habentes, & bruta ratione carentia dissident; tantum sanè discrimen inter eum qui pascit, atque eos qui pascuntur esse velim, vt ne maius etiam exigam: siquidem in multò etiam maioribus rebus periculum ipsum versatur. Etenim Sacerdotium ipsum in terra quidem peragitur, sed in rerum cœlestium classè ordinemque referendum est. Atque id perquam meritò; quippe non mortalis quisquam, non Angelus, non Archangelus, non alia quæuis creata potētia, sed ipse Paracletus ordinem huiusmodi disposuit: qui mortalibus hominibus etiamnum in carne manentibus autor fuit, vt angelorum ministerium animo conciperent. Idcirco necesse est Sacerdotem sic esse purum, vt si in ipsis cœlis collocatus, inter cœlestes illas virtutes medius staret, eiusque animum solaribus radijs puriorem esse oportet; vt ne quando Spiritus sanctus desolatum illum relinquat, vt dicere possit; Viuo equidem non amplius ego, viuit autem in me Christus. Eum enim qui pro ci-
uita-

*Ibid. Lib.?
de sacerdotio*

*Li 6. de sa-
cerdotio.
Galat. 2.*

uitate tota, quid dico ciuitate? imò
 verò pro vniuerso terrarū orbe lega-
 tus intercedit, deprecatorq; est apud
 Deum: vt hominum omnium, non
 viuentium modo, sed etiam mortu-
 orum, peccatis propitius fiat, qualē
 quæso esse oportet? Quum autem il-
 le & Spiritum sanctum inuocauerit, ^{Sacrificium}
 sacrificiumque illud ^{horrore ac re} horrore ac reue-
 rentia ^{uerentia ple-} plenissimum ^{nissimum.} perfecerit, com-
 muni omnium Domino manibus
 assidue pertractato; quero ex te, quo-
 to illum in ordine collocabimus?
 quantam autem ab eo integritatem
 exigemus? quantam religionem? Cō-
 sidera enim quales manus illas admi-
 nistrantes esse oporteat; qualem lin-
 guam, quæ verba illa effundat: qua
 denique re non puriorem sanctio-
 remue esse conueniat animam, quæ
 tantum illum, tamque dignum Spi-
 ritum receperit. Per id tempus & An-
 geli Sacerdoti assident, & cœlestium ^{Angeli Sa-}
 potestatum vniuersus ordo clamores ^{cerdoti assi-}
 excitat; & locus Altari vicinus in ^{dent.}
 illius honorem qui immolatur, an-
 gelorum choris plenus est: Luminis
 F 3 instar.

instar, vniuersum orbem illustrantis. Et hac quidem Chrysostomus. Nos autem ea quæ sequuntur, oratione prosequamur.

Confecto sacramento, confert se diuinus Hierarcha ad spirituale Oeconomiam, sanctæque prolis gubernationem. Armatur igitur primum & instruit nouum sponsum, dat regenda & gubernanda familia instrumenta ac gubernacula. Et cum omne regimen omnisque administratio, auctoritate & amore contineatur: Oderunt enim peccare mali, formidine poenæ: Oderunt peccare boni, virtutis amore. tradit imprimis in manus noui Antistitis consecratum Baculum: auctoritatis scilicet & disciplinae insigne, sustentaculum imbecillitatis humanæ, ut sit in coercendis vitijs piè seuerus, iudicium sine ira tenens, lenis in fouendis virtutibus, audientium animos demulcens, in tranquillitate seueritatis censuram non deserens: ut reuocet errantes, regat iustos, pun-
gat & stimulet ignauos & inertes, repellat nocentes: ac, iuxta Ezechielem, attrahat vagum, sustentet languidum, stimulet

Ezech. 34.

*let pigrum: portet in humeris suis, exem-
plo Principis pastorum, agrum & debile.* Li. 3. de Con-
sideratione.

Vt increduli, inquit Bernardus, conuertantur ad fidem, conuersi non auertantur, auersi reuertantur, peruersi ordinentur ad rectitudinem, subuersi ad veritatem reuocentur, subuersores conuincantur: vt vel emendentur ipsi, si fieri potest; vel si non, perdant auctoritatem facultatemq; alios subuertendi.

Excusserunt hoc insigne potestatis & auctoritatis, disciplina item de manibus Pontificum, huius seculi heretici, & ideo in omni rerum confusione & perturbatione versantur. Non potest enim Deo esse contrarium quid, & sibimet cohære, aut secum consentire: dicebat Bernardus. Nec possunt verè dicere: Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt. Ideo ne filij quidem, quia extra disciplinam sunt: qua sublata & extincta, omnem ordinem auferri, omnem recti & honesti differentiam extinguere oportet. Li. 5. de Consideratione.
Psalm. 22.
Heb. 12.

Impunitas enim, inquit idè Bernardus Li. 3. de Consideratione. incuriæ soboles, insolentiæ mater, radix impudentiæ, transgressionis nu-

trix, matris noxiæ libertatis pessima
 soboles hæc. *Sed nunquam excussissent,*
si Pontifices rem magis, quàm insignia rei
complecti voluissent: & si pro religione
potius contra impietatem, pro fide contra
perfidiam, pro veritate contra mendaci-
um, pro virtute contra scelus, pro iustitia
contra iniustitiam, pro pudore contra fla-
gitium & impudentiam, quam pro suis
commodis ac honoribus, ea potestate & au-
toritate, qua illis à deo tradita est, uti vo-
luissent. Verùm cū hæ nuptiæ, hocq; regimē
non tam timoris, quam amans sit: non tam
seueritatis, quā charitatis: Nam & Chri-
stus Dominus dilexit Ecclesiā, & tra-
didit semetipsum pro ea, ut illam san-
ctificaret, mundans eam lauacro a-
quæ in verbo vitæ: ut exhiberet ipse
sibi gloriosam Ecclesiam, non haben-
tem maculam, aut rugā, aut aliquid
huiuscemodi, sed ut sit sancta & im-
maculata. Et eum quem vicarium loco
sui relicturus erat, priusquam illi despon-
disset, ter interrogauit, num se deligeret,
& propter se sponsam suam. Quod cum il-
le sūmā assueuatione ter professus fuisset,
tum demum illud audiuit: Pasce oues me-

2 pbes. 5.

Ioan. vlt.

as, pasce agnos meos. Sane qui dicit, Amice ascende superius, ait Bernardus, amicum fore fidit. Si min⁹ inueniat, non expedit quidē. Qui eleuauit, & deicere potest. Sera querela, quoniam eleuans allifisti me. Eius igitur amoris & charitatis symbolum, sacer Consecrator nouo sponso tribuit consecratum Annulum: eum monens, ut accipiat Annulum, fidei scilicet & amoris signaculum quatenus sponsam Dei, Sanctam videlicet Ecclesiam, intemerata fide ornatus, ille libat am custodiat. In quo amore et dilectione si pastores persisterent, Super muros Hierusalem, ut inquit Esaias, starent custodes, tota die ac tota nocte non tacentes. Habitaret enim inuenis cum virgine: & gauderet sponsus super sponsam, & gauderet super illos Deus eorum. Dura enim ut mors est dilectio, & tanquam infernus amulatio. Cupiditas & amor, dulces sunt tyranni. Videmus bubulcū, inquit Nazianzenus, ob vitulū vnum ab armento aberrantem, vel pastore ob pecudem decadis grege desideratam, vel auem ob nidulum, quem ad breue tempus reliquit, vsq; adeo dis-

Lib 2. de cō-

sideratione.

Luca 14.

Psal. 101.

Esai 61.

Cant. 8.

In oratione

posteaquam

rure in urbē

redijset.

crutiari solere; vt & illi arreptis fistulis, in speculam quandam euecti, calamus omnes mœrore impleant, atque palantia animalia quasi ratione predata, euocent: ac si paruerint, maiorem ex illis, quam ex reliquis simul omnibus, delectationem percipiant; hæc autem stridens ad nidum conuolat, pullisq̄ue stridentibus aduoluitur, eosq̄ue pennis foueat: quo tandem chariores esse, par est apud bonum egregiumq̄ue pastorem oues rationis participes, & pro quarum salute non nihil periculi adiit; quandoquidem hoc quoque acriores animi flamas excitat. *Qui amor cum in pastoribus nostri sæculi nõ sit ideo nõ gaudet sponsus super sponsam suam, ideo alienam sequitur: ideo ubiuis potius libentius agit, quàm in ouilibus suis: Ideo alij prius ex hac vita decedunt, quàm Cathedras suas reuiserunt: ideo in Geographicis tabulis necesse habent situs & locũ Episcopatuũ suorũ querere. Quid capiet piscator ille, qui procul à littore abest? sit peritissimus, sit solertissimus licet, pastor itẽ ille quid proficiet, qui stabulã ingreditur nõquã? Quis inter*

interfluctus, *inquit Leo*, nauē dirigit, si gubernator abscedat? quis ab insidijs oues custodiet, si pastores cura non vigilet? quis deniq; latronibus obfi-
stet, & furib⁹, si speculatorem in pro-
spectu explorationis locatum, ab in-
tentione sollicitudinis amor quietis
abducatur? *Et tamen grauius ferimus,*
quod in eum locum deducta sit res Ecclesi-
astica: Nemo nos plus laesit quam nos ipsi,
sed & hucusque ledimus. Vnde autem hac
tam supina negligentia? nisi inde, quod
Christum Iesum non amamus: quod salu-
tis nostrae nullam, vel perexiguam ratio-
nem habemus, quod Academicas quasdam
questiones sequamur. Negligenter pas-
cens toties commendatum Domini-
cum gregem; inquit magnus Leo, con-
uincitur summū non amare pastorē.

Pastor consecratur, ergo pascua illi tra-
duntur. Accipit Consecrator Euangelio-
rum librum, eumque nouo Praesuli tradit:
Accipe, inquit, Euangelium, & vade
praedica populo tibi commisso. Po-
tens est enim Deus tibi augere grati-
am suam. Ac si diceret: Ne putes in Pau-
lo & Petro, Tito & Timotheo, Chryso-

mo & Augustino, munus & functionem Apostolicam desisse: ne putes caelestem illam benedictionem & auxilium aeterni Patris sublatum esse: quo illi subnixi, profecti annunciauerunt Euangelium vniuerso mundo: potens est Deus etiam tibi dare gratiam suam, ac per te similia operari.

Lib. 2. de
cōsideratione

Etsi enim illi plus omnibus inquit Bernardus, laborarunt, non tamen totū elaborauerunt, & tibi adhuc locus relictus est. Neque te illud tant opere terreat, quod sublimibus humana sapientia verbis careas, quod seriū ad sacrarum litterarum lectionem accessisti, quod nunquam Cathedram Doctōris conscenderis. Aude, & fac aliquid. Potens est enim Deus tibi augere gratiam suam. Nihil agētem, impossibile est bene operari. Melius serò, quam nunquam.

Matth. 20.

Nam & undecimæ horæ operarij, diurnum acceperunt denarium. Petro nihil indoctius, Paulo nihil imperitius, inquit Chrysostomus, Et hoc illi profitebantur, nec eos hoc fateri pudebat. Etsi imperitus sum, inquit Paulus, sermone, non tamen scientia: Sed tamen hic imperitus, & ille indoctus, sexcentos Philosophos super

In Proœmio
ep. ad Rom.

2. Cor. 11.

per

perarunt; sexcentis Rhethoribus os obturârūt; suo ipsorum studio, propensaque voluntate, & Dei gratia, omnia peragentes. Inique certè & calumniosè heretici, ut in cæteris omnibus, ita et in hac parte conuiciantium, verbi Dei in Ecclesia Catholica nullam rationem haberi, sacram scripturam supprimi: aliunde potiùs, quam ex scripturis diuinitùs traditis, dogmata populo Christiano proponi: humanas traditiones, pro diuinis præceptis & mandatis obtrudi: quæ illorum oratio, quàm vana, quàm cum euidendi calumnia coniuncta sit, hæc ipsa traditio libri Euangeliorum: hæc noui Pastoris compellatio, quæ quasi summam Pontificalis muneris cõtinet, abunde docet. In qua Codicis traditione, tria nobis præcipue sunt obseruanda. Primum illud, quod non ipse sibi, is qui populo Dei præficitur, codicem submit: hoc enim hereticorum proprium & peculiare semper fuit: sed à sede Christi, sed ex manu diuini Hierarchæ accipit. Nam neque Moyses quidem sibi ipsi tabulas, in quibus Lex Dei continebatur, sumpsit, sed de manu Dei acceptas populo tradidit. Et Paulus, id quod à Domino accepit,

I. Tim. 6.

cepit, se tradidisse docet. Et Timotheum monet idem Paulus, ut id custodiat, non quod sibi priuata auctoritate sumpsit, sed quod apud eum depositum est. Secundum verò illud animaduertendum erit, tradi illi Codicem Euangeliorum: non unum aliquod Euangelium, non partem aliquam Euangelij: Nam hoc item hereticorū proprium est, ut partem quidam unam sacre scripturae tueantur, reliquas autem vel negligant, vel tanquam Apocryphas & profanas penitus reijciant. Huic autem nostro totum traditur Euangelium: ut ita eius unam partem tueatur, ita interpretetur, ne reliquarum sensum & veritatem peruertat: ita uni parti imitatur, ut reliquarum conseruet sanctitatem. Tertium demum illud, quod quae Ecclesia illi tradit Euangelium, eadem & sensum ac interpretationem eius Euangelij eum docet: ne ipse novos sensus quarat, ne sua figmenta pro Catholica doctrina obtrudat: ut Spiritus Dei, non humani sensus, sequatur doctrinam. Prophetia enim, atque vniuersa scriptura, inquit sanctus Petrus, priuatae interpretationis non est. Ut enim illud Euangelium adfert, quod omni-

2. Pet. 1.

um temporum atque locorum est, ita & eā
 interpretationem sequi debet: si verus, si
 solidus, si Catholicus Doctor esse, & habe-
 ri vult: quæ omnium atatum & temporū
 omnium item gentium & nationum, iudi-
 cio & auctoritate sit comprobata. Hacque
 illa est vera, inter Catholicum & hereti-
 cum Doctorem atque Magistrum diffe-
 rentia: quod uterque sacra scriptura testi-
 monijs utitur, uterque Euangelium lau-
 dat. Uterque pro hoc vitam sanguinemq;
 si ita opus sit, se profundere paratum esse
 dicit. Hic tamen hoc Euangelium, eiusque
 ministerium, priuata sibi sumit auctori-
 te: ille à potestate ordinaria accepit: hic
 partem aliquam tuetur, ille totum simul
 corpus defendit: hic suos proprios, ille Eccle-
 siasticos astruit sensus. Et ideo Catholici
 Magistri doctrina, ad Deum reuelan-
 tem, & Spiritum sanctum interpretan-
 tem, enarrantemque ac suggerentem re-
 fertur. Hæreticus diuina quidem verba
 adfert, sed suum sensum. Et verbis quidem
 diuinis summa & prima fides habēda est,
 sed illis tamen, quæ procedunt de ore Dei,
 & quæ os domini locutum est. Quod autem
 hoc ipsum os diuinum sit, in Symbolo profi-
 temur

temur omnes: sed & ipsi profitentur nobiscum, si modo se intelligere & exaudire velint: etsi non pertinacia & malicia nunquam vincantur. Qui locutus est; inquit, per prophetas. Et vnam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Ecclesia Dei promissus est spiritus sanctus: unus igitur sibi non sumat, quod omnium est. Et idcirco hereses semper vno pede claudicant: Catholica fides, utriusq; pedis stabili firmatur gressu. Catholica fides, eternam & increatam veritatem sequitur, quæ omnium est: hæresis secundum Deum, vel una cum Deo, suos sensus & iudicia, duo insidiosissima idola colunt & adorant. Et proinde palpant tenebras Aegyptij. Cum de populo Dei scriptura dicit: Vbicunque Israel erat, ibi lux erat. Sed quæ tandem causa eius, de qua supra dictum est, calumnie? Non alia certè quàm illa, de qua quondam quæstus est Ieremias: Sed & lamia nudauerunt mammas, lactauerunt catulos suos. filia populi mei, crudelis tanquam struthio in desertis. Lamia, inquit, monstra fædissima ac crudelissima, tantum humanitatis, tantum charitatis habent, ut eos

Exod. 10.

Thren. 4.

ut eos catulos, qui ex eis progeniti sunt, lac-
 tarent: ut his, quos illis Deus & natura cō-
 mendauit, nudent ubera sua. Filia autem
 populi mei, Sacerdotes & Pontifices, ex
 quorum ore fontes doctrinae irrigandis po-
 pulis profluere debebāt, struthionis instar
 sunt crudeles: quem nulla pietas, nulla suo-
 rum mouet charitas. Sic nostris infelicissi-
 mis temporibus. Lamiae quidem haretico-
 rum humanam faciem habentes, sed bel-
 uina per impietatem corda gerentes, nu-
 dauerunt mammas, lactauerunt varijs
 erroribus catulos suos. Pastores aut, atque
 Doctores Ecclesiae, crudeles tanquam stru-
 thio, quibus nullum uilius uidetur officij
 genus, hoc ipso uerbi diuini praedicationis
 munere: & quod omnem excedit inhumana-
 nitatem, non solum ipsi non lactant catu-
 los suos, sed nec nutrices quidem ipsas, id
 est Parochos, ac reliquos inferiores Eccle-
 siae ministros, hoc officij genere serio perfun-
 gi patiuntur: dū uel eos huic muneri praefi-
 ciunt, qui ipsi rationem uitae suae ignorāt,
 uel alijs negotijs longè diuersis & pugnantibus
 impediunt. Atqui Paulus necessi-
 tatem euangelizandi sibi incumbere cla-
 mat: *Uae enim, inquit, mihi, si non euange-*

1. Cor. 9.

G liza

Li. 4. de Cō-
fideratione.

Epist. 237.

Luca 5.

4. Reg. 19.

lixauero. Et si purpuratus, et si deauratus incedis, *inquit Bernardus*, non est tamen quod horreas operam curamque pastoralement, Pastoris hæres: non est quod erubescas Euangelium. Pastorem te populo huic aut nega, aut exhibe. Quis mihi det, antequam moriar, videre Ecclesiam Dei; sicut in diebus antiquis, quando Apostoli laxabant retia in capturam; non in capturam auri & argenti, sed in capturam animarum. Quam cupio vos. *Episcopos compellat*, eorum hæreditare vocem, quorum adepti estis sedem. Venerunt filij vsque ad partum, *ait Propheeta*, & vires non habet parturiens. *Verum & hæc quidem hætenus.*

Accepto demum nouus Pontifex à suo Consecratore, ac reliquis assistentibus, osculo pacis, de quo paulò post nobis dicendum erit: recedit ab Altari, ac deinceps eo tempore, quo populus Christianus dona & munera ad altare Dei, more veteri, eoque laudatissimo, adferre solet: ipse quoque suo Consecratori, tanquam spirituali patri, munera offert. Sunt autem ea ex antiquissima Melchiadis Pontificis institutione,
panis

panis & vinum: quibus duæ anteferuntur
 faces. Offert panem & vinum: vel ut o-
 stendat, se in eius Sacerdotis functionem
 & munus succedere, cui sine omni in futu-
 rum pœnitentia iuravit Dominus, eum Psal. 109.
 esse Sacerdotem secundum ordinẽ Melchi-
 sedech: vel, ut quidem ego iudico, ad desig-
 nandam paupertatem Episcoporum pri-
 mitiua illius Ecclesia: in qua summa opes,
 summa diuitia, panis & vinum fuerunt.
 Dantur autem hæc munera clara luce, &
 amplius duabus facibus accensis, ne quid
 inter hæc leuia munera speciosius colore,
 pondere preciosius (scitis quid intelligam)
 subrepat ac subiiciatur. Male enim agi-
 tur, cum ea quæ virtuti & pietati debentur,
 a sino onusto auro conferuntur.

Assumitur demum sacer Antistes à
 suis collegis, in communionem & partici-
 pationem orationis, ac mysticæ mensæ. Ac
 ut quondam Elias quadraginta dierum
 & noctium ad montem vsque Oreb Dei^{3. Reg. 19.}
 visionis, iter emensurus, cœlitus delato cõ-
 munitur viatico: Sic iste cõtra omnia pro-
 lixi & difficillimi itineris pericula, contra
 omnes visibilia, & qui videri non possunt
 inimicorum insidias, contra Principes &

Tphes 6. potestates tenebrarum mundi huius, confirmatur & roboratur pane illo, qui de celo descendit: quem qui dignè manducat, nō moritur, sed habet vitam eternam. Super quem panem, iuxta *Esaiam*, requieuit Spiritus domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis: & repleuit eum spiritus timoris Domini. Quorum donorum participes efficiuntur oēs illi, qui dignè & religiosè tanto reficiuntur viatico.

Psal. 90.

1. Pet. 5.

Matt. 16-

Cælesti mysterio refectus armatur deum ille, cui cum *Aspide* & *Basilisco*, cum rugiente *Leone* & *Dracone*, congregiendū est; cui cum portis ipsis inferi pugna instat: cui omnium necesse est ferre tentationes. Nec ubi nudo quis aut neglecto loco deprehensa, letale vulnus adferat. Nam etsi ego latens in cauerna, dicit *Bernardus*, & quasi sub modio non quidem lucens, sed fumigans, ventorum tamen impet⁹, nec sic quidem declinare sufficio; quid positus supra montem, positus supra candelabrum patietur? Imponitur igitur capiti eius sacra *Cydaris*, bicornisque *galea*, cum *Patris omnipoten-*

tis inuocatione: cuius præclara est bonitas, & virtus immensa, totiusque decoris ornamentum.

Imponimus, *inquit diuinus Hierarcha,* capiti huius Antistitis & agonistæ tui galeam munitiois & salutis; quatenus decorata facie, & armato capite, non generis & prosapiæ vetustate, nõ stipatorũ vi & armata manu, nõ magnis necessitatibus & clientelis, sed cornibus vtriusque testamenti terribilis appareat aduersarijs veritatis: & te ei largiente gratiam, impugnator eorum robustus existat. Qui Moyse Exod. 34. famuli tui faciem, ex tui sermonis cõsortio decoratã, lucidissimis claritatis ac veritatis cornibus insignisti, & capiti Aaron Pontificis tui Tyaram Exod. 28. imponi iussisti. Tali armatura instruebantur primi religionis nostræ duces & Antistites: hisque deuicerunt regna, ob- Hebr. turaruerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugauerunt aciem gladij, conualuerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum. His cornibus armatus Petrus Neroni, Liberius Constantio, Ambrosius Theodosio,

G 3 Basi-

Basilii Valentino, Chrysostomus Arcadio, Leo Gensericus atque Attila, noster Stanislaus Boleslaus, alijque alijs quam plurimi restiterunt, terribilesque apparuerunt. His cornibus Ariana, Macedoniana, Nestoriana, Dioscori, Eutichetis, ac reliquorum monstrorum dissipata est impietas: his omnis haereticorum prauitas cessit. Vobis amplissimi Patres nimis haec cornua obtusa & attrita reddita sunt. Quietem & tranquillitatem nostram curamus: caelum ruiturum existimamus, si quid liberius pro Ecclesia Dei dixerimus aut fecerimus. Nimis timidi sumus, nimis ocio & desidia torpemus. Et eo quidem tempore, inquit Chrysostomus, quo aura serena est & lucida, quo pascua libera & quieta, quo nulli luporum impetus & insidiae greges vexant; licet fortasse Pastori se prouoluere sub patula arboris umbra, fistula dulci canere: At ubi imbres & tempestates insurgunt, ubi oues dissipantur, ubi lupus ad praesepia adest: tum pastor umbram deserat oportet, tum pro tripudio & choro cursum, pro fistula et tibia fundam & baculum arripiat, oportet. Et fuit quidem quoddam tempus, cum

magna

magna erat Ecclesie Dei pax, magna quies, rerumque omnium secundissimus afflatus: tum fortasse licuit multis ociosos esse, suisque voluptatibus & quiete perfrui, suis lucris & commodis incubare: Nunc tempestas adest, summosque feriunt fulmina montes, nunc presentia naufragia ubique ante oculos versantur nostros: nunc dura bella & conflictus imminent: nunc alia est ratio omnium rerum. Executiendus est iste sopor: voluptates rejicienda: ad arma, ad gubernacula vobis recurrendum, priusquam extremum naufragium vos, gregesque vestros absorbet. Virtus enim in pace acquiritur, in pressura probatur, in victoria coronatur. Neque illorum temporum exemplis abutendum, neque illi homines nimis molles & delicati imitandi, quod plerique vestrum faciunt: sed illi potius primi fortissimi ac insuperabiles viri Patres & fundatores vestri, qui omnia humana & diuina excellenti animi virtute superarunt: qui nulla humana voluptate & recreatione usi sunt: qui omnia mundi huius sicut stercorea existimarunt, ut Christum lucrifacerent: qui solas has voluptates atque delicias censebant, nem-

Philip. 3.

pè à voluptatibus & delicijs abhorrere:
 Quorum vita fuit, *vt Paulus docet*, in
 multa patientia, in tribulationibus,
 in necessitatibus, in angustijs, in pla-
 gis, in carceribus, in labore & ærum-
 na, in vigilijs multis, in fame & siti,
 in ieiunijs multis, in frigore & nu-
 ditate: in itineribus sæpè: periculis
 fluminum, periculis latronum, pe-
 riculis ex genere, periculis ex gen-
 tibus, periculis in ciuitate, peri-
 culis in solitudine, periculis in mari,
 periculis in falsis fratribus. Per gloriã
 & ignobilitatem, per infamiam &
 bonam famam. Vt se ductores, & ve-
 races: quasi purgamenta mundi hui⁹
 existimati, ludidria & verbera exper-
 ti; lapidati sunt, secti sunt, tētati sunt,
 in occisione gladij mortui sunt. Cir-
 cuierunt in melotis, in pellibus capri-
 nis egentes, angustiati, afflicti; in soli-
 tudinibus errantes, in montibus, &
 speluncis & cauernis terræ: quibus di-
 gnus non erat mundus. Tradiderunt
 corpora sua ad supplicia, & lauerunt sto-
 las suas in sanguine agni, & ideo recepe-
 runt palmas: & ideo sempiterno cælo cum
 duce

2. Cor. 6. 9.
 11.

Hebr. 11.

ApoCa 22.

duce & imperatore suo Christo fruuntur: Apoc. 20.
 & ideo nomina eorum scripta sunt in libro vitæ: & ideo memoria eorum ex ore hominum non peribit in sempiternum. Hi vobis potius tali tempore, his periculis imitandi sunt, & moribus exprimendi, quàm dissoluti & enervati illi: qui & ipsi, si vigilantiores atque diligentiores suis temporibus esse voluissent, et Ecclesia Dei melius consuluissent, & officio suo convenientius functi fuissent, & vobis pinguiorem ac uberiores hereditatem domini reliquissent: sed & exemplum sanctius, nomenque illustrius. Nam honores isti vestri atque summa dignitates, quedam res natura sua sunt. Si enim præstanti virtute & vita innocentia quaruntur, si maximis vigilijs & laboribus sustinentur, si incredibili fructu & utilitate eorū quibus præsis obsignantur, res quedam magnifica & illustres putanda sunt: & quæ plurimum decus atque commendationem illis, in quos conferuntur, adferre solent: Sin verò dolo & fraude inuaduntur; vel quòd fædus est, si pecunia comparantur, si per luxum & desidiam prociuntur, potius quàm geruntur: si aliqua infelici

calamitate, ac publica salutis ruina, concluduntur: tum in istis amplissimis nominibus honoris non modo dignitas nulla erit, sed erit etiam summa deformitas. Nam & virtutis uniuersa, & iudicij, omnem opinionem euertunt. Quomodo enim ille vir bonus, qui ut suam qualemcunque astruat gloriolam, publicam salutem in summum discrimen adducere non dubitat? Quomodo recto iudicio praeditus, qui neque seipsum nouit, neque illud discernere potest: veram laudem & gloriam, non tam ex honoribus & dignitatibus pendere, quam ex earum recta & salutari administratione: & qui non cernit se honoris vocabula, non dignitatis insignia consecutum esse: & qui ex eo laudem querit, quod non illi, sed pecunie suae collatum est. Nam & in militia praclarum quidem est Ducem exercitus creari, turmas & legiones ducere: sed si id virtute tua consequaris, si strenue cum hoste dimices, si praclaram aliquam victoriam Reipub. parias: sin aliter, quanto plures perdideris, tanto illustriora ad omnem posteritatem excitabis infamiae tuae trophaea. Magna dico, sed & in paruis hoc idem videre licet. In

Comedia vel Tragedia pulchrum quidem est Priami Regis, aut Agamemnonis, aut Aiakis personam sustinere; sed si Priami imperio dignam speciem geras, si lacertis firmus sis, si voce valeas: si nihil horum, longè honestius & pulchrius est cum decore, vel Therfitis, vel Dani, aut Getæ cuiusquā personam sustinere, quam cū turpitudine & dedecore Heroas ac semideos representare, miserabilisq; potius quam suspiciendus apparere. Histrio hac in fabula videbit, Episcopus Sacerdos in summa salutis suæ, ac tot populorum incolumitate, non videbit? Quæ si maiores nostri apud se diligentius perpēdissent, nunquam profecto in eos scopulos atque pericula, rem Christianam adduxissent: & ipsi longe nobilius nomen & gloriā post se reliquissent. Nunc alia tempora, alios postulant mores. Stultum & insanum est in procella & turbulento mari molliter cubare vel le. Quietō mari, inquit Gregorius rectè nauem etiam negliens, & imperitus nauta dirigit: turbato autem tempestatis fluctibus, etiam peritus & vigilans nauta se confundit. Neque tamen animo deficiendum est, neque tamen malis cedendum

Parte prima
Pastoralis.
cap. 9.

Hebr. 12.

cedendum, ac veluti desperata salute, clauus & gubernacula dimittenda: Nondum enim ad sanguinem vsque ipsum restitimus. Non est vir fortis, cui non crescit animus in ipsa rerum difficultate. Maior est ille qui in nobis est, quam aduersus nos. Cōfide, vicit ille mūdū, & nos vincemus.

Ioan. 16.

In quo studio & conatu, cum nihil magis cauēdū fugiendūq. sit, quā studiū vanæ & inanis gloria, ne quid ābitiosa, ne quid humana laudis causa fiat. Nihil enim tā inglorium dicebat Bernardus, quā Episcopum gloriae cupidum deprehendi. Permulti autem inueniuntur ad ea, quae pietatis & religionis sunt prompti exercēda, sed sola honoris cupiditate ducuntur: ubi autem eorū pietas arbitris caret, ibi quoque recte merendi languescit alacritas. Stultissimis vtique mulierculis dicit Nazianzenus, haud dissimiles, quae natura pulchritudine carentes, ad colores confugiunt, theatriceque vt sic loquar, comptae atque ornatæ sunt: ob venustatem inuenustæ, ob affectatam formam deformes. Et hoc est, inquit Gregorius, quod dicit scriptura: Tradidit in captiuitatem virtutem eorum

In funere patris sui.

eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimici. *In captiuitatem etenim virtus, & pulchritudo in manus inimici traditur, dum alterius iudicis, quam Dei testimonium, quarit: fouea est mentis, memoria propria virtutis. Dum enim se apud se erigit, apud humilitatis auctorem cadit. Exciderat Regio Propheta paulò liberius verbū. Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in aeternū: & statim damnū sentit: Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. Quam enim virtutem proprius oculus videt, Dei non videt: In quo vitio declinando eo magis nos circumspectos esse oportet, quod hoc malum ultimo sapientem deserat: hoc vestimentum dicebat Plato esse, quod postremum anima sapientis deponit. Ideo velantur manus operarij nouis integumentis: ne aut sibi ipse, aut hominibus placere velit. Vt ante interni iudicis oculos omnia virtutum bona ex charitate decorentur, & cuncta quæ corā hominibus rutilant, hæc in conspectu occulti arbitri flamma intimi amoris accendat: ut in omnibus exemplo & instituto Apostoli honorificemus ministerium nostrum, non nos ipsos: aut*

Quarta parte
Pastoralis.
Psal. 77.

Psal. 29.

ALPHUM 21.

potius

Epistola 28.
 & epist. 42.

potius honorificando ministerium nostrū,
 nos ipsos honorificemus. Honorificabi-
 mus autem, inquit Bernardus, non cul-
 tu vestium, non equorum fastu, non
 amplis ædificijs, sed grauitate morū,
 maturitate consiliorum, actuum ho-
 nestate, studijs spiritualibus, operi-
 bus bonis. Si enim mundo placem⁹,
 cur Sacerdotes; Si Deo, cur qualis po-
 pulus, talis Sacerdos? Deus dissipabit
 ossa eorum; qui hominibus placent,
 confusi sunt: quoniā Dominus spre-
 uit eos. Fidelis Pōtifex, qui bona quæ-
 libet per manus suas transeuntia, siue
 diuina beneficia ad homines, siue ho-
 minum votā ad Deum columbino
 intuens oculo, nihil sibi reseruat ex
 omnibus. Quo puritatis intimæ bo-
 no gloriari non potest veraciter, nisi
 qui extrinsecus perfectè gloriolas o-
 mnes respuerit. Nec enim tutum ar-
 bitratur, labijs hominum commit-
 tere gloriam suam, arcæ vtique sine
 claue & sine sera, nullique omnino
 clausæ nocere volenti, non tutum o-
 mnino sed stultum ibi thesaurum re-
 condere, vnde non valeas resumere
 cūm

cū volueris , sanum vas & incon-
 cussum conscientia . & secretis ser-
 uandis idoneum , nullis patens insi-
 dijs nulli violentiæ cedens : adest vi-
 uo, mortuum sequitur. Vbi mihi glo-
 ria, vel cōfusio perpetua, pro ratione
 depositi - Quin ne ex toto quidem,
 vel ipsi conscientiaē meæ credo: quip-
 pè cum ne ipsa quidem me queat cō-
 prehendere totum, propter quod Ie-
 remias fidenter loquebatur Deo; *Hiere. 17^a*
 Di- em hominis non concupiui, tu scis
 solus; merito constitutus est iudex
 viuorum & mortuorum, qui finxit
 singulatim corda vniuersorum, & in-
 telligit omnia opera eorum . Solum
 attendo iudicem, quem solum iusti-
 ficatorem agnosco. Sit gloria in ex-
 celsis deo, & in terra pax hominibus.
 De vultu tali iudicium meum pro-
 deat opto; cui insit amor, error absit *Gen. 27^a*
 & perturbatio. *Summi igitur, Pa-*
rentis auxilium imploratur, mundi-
ci aut circumdare velit manus ministri
sui noui hominis, qui de caelo descen-
dit. Ut quemadmodum Iacob dile-
 ctus Domino, pelliceis hædorum co-
 oper-

opertis manibus, paternam benedictionē, oblato patri cibo potuq; gratissimo, impetrauit; sic & ille oblata p man⁹ suas hostia, salutarē gratiæ illi⁹ benedictionē impetratiōe mereatur

Collocatur deinceps Episcopus, hoc est inspector omnium, in editiore supra omnes loco, inquit Ambrosius: ut ita cunctos re-

*De dignitate
Sacerdotali
cap. 6.*

spiciat, & cunctorum oculi in eum respiciant. Quid ni locetur in eminenti, ait Bernardus, unde prospectet et omnia, qui speculator super omnia constituitur? Collocatur in sede Iesu Christi homo mortalis, qui aliquando iudicium & sententiam, vel æternæ suæ salutis, vel perpetuæ damnationis, ex eodem loco prout eundem tutatus fuerit, reportaturus est. Collocatur in solio illius, cuius sedes Throni sunt, mentes tranquillissimæ & placidissimæ, pace perenni, quæ exuperat omnem intellectum, perpetuò fruenter. In quem desiderant & Angeli prospicere: cui omnes Patriarchæ seruiuerunt: cui oēs Prophetæ testimoniū reddiderunt: cuius pedum vel ipsum corrigiū calciamenti qui soluat, indignum se iudicat ille, quo nullus maior extitit inter natos mulierum. Cuius loci consideratio,

*L. 2. de
cōsideratione*

inquit

inquit Bernardus, facit honoris contemptorem in honore etiam ipso. In alto positum, non altum sapere difficile est, & omnino inusitatū: sed quāto inusitatius, tāto gloriosius; timor de adpta iam altitudine, tædere magis facit, quàm placere ipsam altitudinem. Nulla splendidior gemma in omni præcipuè ornatu Pontificis, ipsa humilitate; quo enim celsior cæteris, eò humilitate apparet illustrior & seipso. Blanditur Cathedra, specula est, nō domus: qui eleuauit, deijcere potest. Consideras gradum, & casum ^{Epist. 237.} metue; consideras fastigium dignitatis, & vide faciem abyssi deorsum. Occupare enim locum, & nō facere fructū, nec loco expedit, nec psonæ. Hæc quidē haçtenus diuinitus Bernardus.

Quanta igitur vita cælestis integritate, innocentia, continentia, æquitate, moderatione, constantia, patientia: quanto impetu mentis ad sempiternam gloriam, ac reliquas virtutes, vita sanctissima, & moribus probatissimis, & studio diuina virtutis ac charitatis ardentissimo, ad hunc ipsum primum nuptiarum accubitum tu-

H

endum

endum & exornandum opus sit, ipsi vide-
 tis: quam candida & illustri veste, ut par
 dignitati & loco virtus adferatur. Simia
 in tecto, Rex fatuus in solio sedens: mon-
 strosares, gradus summus, & animus in-
 firmus: ingens auctoritas, & mutans stabi-
 litas.

Secunda par- Prouidendum igitur monet Gregorius,
 te Pastoralis quatenus & honore suppresso aqua-
 les nos subditis bene viuentibus pu-
 temus, & erga peruersos iura rectitu-
 dinis exercere non formidemus; nec
 præesse nos hominibus gaudeamus,
 sed prodesse. Summus enim locus ita
 bene regitur, cum is qui præest vitijs
 potius, quàm hominibus domina-
 tur; ita tamen, ut in corde seruetur hu-
 militas, & in opere disciplina: ut eos
 quos corrigimus, tacita nonnunquã
 cogitatione nobis ipsis præferamus:
 sic iura disciplinæ exerceantur contra
 delinquentes, ut pietatis viscera non
 amittantur; sit amor, sed non emol-
 liens: sit rigor, sed non exasperans; sit
 zelus, sed non immoderatè sæuiens:
 sit pietas, sed non plusquam expedit
 parcens, ut in arce regiminis iustitia
 clemen-

clementiæ permisceatur; nam secta
 immaturè vulnera deterius inferues-
 cunt; & nisi cum tempore medica-
 menta conueniant, constat quod me-
 dendi officium amittunt: vt non de
 subditis crescamus, sed ipsi de nobis.
 Principem enim te cōstituerunt, sed
 sibi, non tibi. *vt in omnibus illud quod*
monet Bernardus, deligenter expendatur;
quid liceat, quid deceat, quid expediat.
 Plus erga corrigendos, docet sanctus
 Leo, agat beneuolentia, quàm seue-
 ritas; plus cohortatio, quàm commo-
 tio; plus charitas, quàm potestas. *His*
legibus hoc tantum tuetur & exornatur
solium: his ipse solij Princeps & Dominus
Iesus Christus usus est. Ad cuius loci di-
gnam administrationem, magnificè cohor-
tatur Pontifex Nicolaus primus: Epis-
 copi estis, exurgentia in Ecclesia Chri-
 sti horrenda pericula prouidete: spe-
 culatores estis, in altam mentis arcē
 conscendite, & in gregem dominicū
 feram pessimam irruere cupientem,
 à longè contemplantini. Quasi tuba
 exaltate vocem vestram; & annunciate
 populo Dei scelera eorum: super

Epist. 34.

In Epist. ad
 Epist. Constan-
 tinopolitanæ
 Sedi subiacet.
 tes.

Lucæ 4.

montem excelsum; id est, altitudinē virtutum ascendite. Qui euangelizatis Syon, state in fortitudine: potestatibus huius sæculi, ex aduerso ascendite. *Ne veniat paterfamilias, & iubeat vos dare eum locum digniori: ne pro omnis æquitatis & honestatis Antistitib. nequitie præsidēs esse videamini.*

Sicigitur collocato Pastore in sua sede, prorumpit uniuersa Ecclesia in laudes & confessionem omnipotentis Dei: in quas omnis humana actio & institutum, meritò desinere debet. Ducitur per templum novus Antistes, ut omnibus innotescat: commendatur summo Pastori, & rectori omnium Deo: Ut quem Ecclesiæ suæ Pastorem præesse voluit, propitiū respiciat; det illi verbo & exemplo proficere, & ad vitam, vna cum grege sibi commisso, sempiternam peruenire.

Sermone primo ad Titum

Quantumlibet enim fuerit peritus gubernandi, inquit Chrysostomus, nisi inter huiuscemodi gubernacula gratiam habeat, & pacem quæ à Deo est: & nauiculam simul, & nauigantes pcella inuoluet, mergetq; profundo.

Pleno vestitu nuptiali ornatus et decoratus

ratus novus praesul, benedicit populo, ac dimittit ecclesiam. Pleni amore et spiritu divini Antistites, in mutuas salutaciones, in mutua oscula, in mutuos amplexus effunduntur, mutuam sibi pacem tradentes & accipientes.

Precatur sacer consecrator novo Praesuli, tanquam germano filio suo, in omni cura ac solitudine subiecti sibi gregis, omnes salutes & optatos successus: *Pre-* In eodē ca. 5.
ecatur novus Pontifex consecratori suo, quem in patris loco vetustissimis institutis, per omnem vitam habere ac venerari iubetur, ter elata voce, multos felices & prosperos annos. Quem ritum τελειωτικὸν ἄσπασμον: *hoc autem est, Sacerdotalis perfectionis salutationem, & complexum, sacer vocat Dionysius: quam hoc modo explicat. Nam & omnes, inquit, qui adsunt, sacerdotum ordinum homines, & Pontifex ipse qui consecrauit, eum qui consecratus est salutant. Cum enim sancta mens scientia, vique Pontificis, & divina vocatione atque sanctimonia, ad Ecclesiastici ordinis consecrationem honoremque pervenit, tum charus est paribus sanctissimisque ordinibus: & ad pulchritudinem*

diuinæ similem perductus, mentes si-
 miles amat, atque ab eis sanctè red-
 matur. Hinc consalutatio illa inter
 Ecclesiastici ordinis homines serua-
 tur & perficitur, quæ sanctam parium
 similiūque mentium societatem
 indicat, lætitiāque mutuam, quæ
 amore digna est, quippe quæ diuinā
 pulchritudinem saluam & incolumem
 Ecclesiastici ordinis formæ cō-
 seruet. Hæc Dionysius. *Amor liquidè
 Pastorum & concordia, salus & firma-
 mentum est gregis. Decet enim eos, qui o-
 mnis pacis & amoris cæteris omnibus ho-
 minibus duces & auctores esse debent: ad
 cuius rei designationem, in veteri lege, nō
 alius quàm Sacerdotes, ignem in templo
 Dei accendere iussi sunt: eos ipsos inter se
 nullis dissensionibus, nullis simultatibus o-
 mnino disiungi, sed mutuam pacem & cha-
 ritatem amplecti. Sic enim animis coniun-
 cti atque concordēs, viribus quoque magis
 pollebunt: omnesque inimicorum suorum
 fraudes & insidias, om̄en vim & impetū,
 facilius sustinebunt, infringent, atque dissi-
 pabūt. Hoc. n. est unguētū Deo gratissimū,
 quod descendit in barbā, barbā Aaron, &*

Leuit. 6.

Psal. 132.

in oram

in orā vestimenti eius. Amor. n. & concordia Pontificū, amorē & mutuā charitatē fouet Principiū: quorū cōsensus, populi salus & cōcordiā est. Hic est ros suauissimus mōtis Hermon, qui descendit in mōtē Syon ibi mandauit Dominus benedictionem, & viam vsque in saculum.

EXposui, ut potui, Nuptias sponsi & sponsa, Episcopi & Ecclesia: dixi, inter quos hoc contrahatur matrimonium: quis Nuptiarum sponsor: qui exornatores & promubi: quae circumstantia: quis nuptiarum modus & ratio. Quo in loco, antequā dicendi finem facio, primum ab hereticis huius saeculi mihi inquirendum esse putauī: Quae causa fuit, cur, cum se omnis vetustatis & antiquitatis studiosos & cultores esse dicant, ab his pulcherrimis & vetustissimis ritibus discesserunt? Cur nihil earum rerum, in designatione suorum Pastorum, faciunt? cur sine examine, Doctores: sine Sacerdotalis manus impositione, Pontifices: sine vnctione, Sacerdotes: sine missione, Apostolos: sine ritu sacro, sacrarū ministros esse velint? An haec sacrosancta non sunt? an non ex antiquissima & Apostolica traditione profluxerunt?

an non diuinis scripturis consentanea? an non munus & officium eius qui consecratur, re ipsa potius quàm verbis exprimentia, ac ob oculos plane ponentia? Cum segnius iritant, ut summus dixit Poëta, animos demissa per aures, quàm qua sunt oculis subiecta fidelibus. Deinde, qua causa fuit, cur homines quidem probatos, legitima vocatione in amplissima dignitate constitutos, tam sacro ritu consecratos repudiarent? erroneos autem quosdam, sine vocatione, sine examine, sine sacramento, sine lare denique ac foco secuti sunt. aut quã tandem iustam causam, in illo acri & perspicaci iudicio Dei, eius suæ rebellionis & temeritatis reddiduri sunt? Sacra Scriptura, inquiunt, nituntur: verum Dei verbum docent. Quo teste, aut iudice? Num de cælo vox delapsa est à magnifica gloria, qua eos audiendos esse iubeat? num multis & varijs signis & portentis sua confirmarunt? nū admirabili consensu & concordia vigent? nū vitæ quadã diuinæ & celestis sanctitate & integritate illustres sunt? num doctrinam quandam eximiam, qua omnem veterum eruditionem longis passibus post se relinquat, adferunt? num salutarem profectum vitæ & doctrinæ, in dies

maiorē, ac maiorē ostēdūt? nihil certe horū. Quid sit euersum, videmus: quid sit extractū, non videmus: quid extirpatū sit, sentimus: quid satum, nondum perspiciamus. nisi fortasse pro fide ac religione, perfidiam: pro Euangelij veritate, flagitia: pro pace & charitate, intestina bella, ac in omnes bonos acerbum odium: pro modestia superbiam: pro libertate & moderatione, licentiam: pro castitate, libidinis indomitum laxamentum: pro tranquillitate, seuam tempestatem: pro obedientia, legitimi imperij contemptioem: pro diuinam amoris studio, rerum sacrarum, qua amorem diuinum excitabant, exitium orbi Christiano inuexerunt. Atqui dices: eos nihil aliud profiteri, quam se purum verbum Dei docere, sacrāque scriptura niti. Porro verbis, quicquid libet non satis est affirmare: exempla diuinae virtutis, non voces inanes, requirimus: neque satis est verbotantum affirmare, ut id continuo credendum sit: non audio verba, sed opus attendo. Quis hoc idem ex veteribus haeticis, quis ex nostris, professus non est? Atqui dicit veritas ipsa: Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium me-

Ioan. 8.

Psal. 115.

um non est verum: alius est qui testimoni-
um perhibet de me, & scio quia verum est
testimonium eius quod perhibet de me. Ve-
ritatis testimonium, si ipsa de se testetur,
non erit verū: hominis natura mendacis et
errori obnoxij, pro seipso in privata causa,
testimoniū accipiem? Nos, inquiūt, et vita
et doctrina sua, locupletes habent testes.

Epist. 75.

Atqui docet magnus Basilus, Oportere
pari saltē facultate instructū esse illū,
qui de alicuius doctrina, aut scriptis
iudicatur⁹ est, qua ille ipse, qui docet
aut scribit, prædit⁹ sit. Nā & de opere
rustico nemo potest rectē iudicare,
nisi Agricola; & de recto & suavi con-
cētū, nisi Musicus. Doctrinæ autē quo-
modo erit ille iudex qui neq; præcep-
torē suū monstrare potest, neq; tem-
pus quo discēbat? Multum autem o-
pus esse elaborare, & multas in som-
nes noctes ducere, multasque lachry-
mas ad Deum profundere, illum, qui
veritatem quærit; quive eius causa v-
nitatem fraternā aliquo modo per-
turbare velit, docet idē Basilus. Ni-
mis ludimus in rebus maximè serijs, cum
iactura salutis & felicitatis nostræ om-
nium

ibidem.

mū aut rerū humanarū extrema perturbatione. Sint testes, *ait idē Basilius,* oculi Ep. 86. 87.
 iustorū, & aspect⁹ virorū profectorū,
 q̄ illud liberè ac verissimè dicere possint;
 Plura quā vos nouimus, atq; internis
 viciorū spinis nō tāto perè suffocamur:
 neque paucis ornamentis multiplicem
 maliciam admiscuim⁹: quales nostra ætas,
 vel nullos, vel paucissimos cū ferat,
 vetus sæculum nobis est appellandum,
 veteris sæculi iudicijs vtendum. *Deinde Reges atque Principes,*
omnesque illi, penes quos conferendarum tantarum dignitatum & munerum
summa testimonij est, mihi sunt commoneudi, eam legem Dei esse, Vt si
 steterit testis mendax contra hominem,
 accusans eum præuaricationis; stabunt
 ambo quorum causa est, ante Dominum,
 in conspectu Sacerdotum & Iudicum,
 in diebus illis: cumque diligentissimè
 perscrutatus, inuenit falsum testem
 dixisse contra fratrem suum mendacium,
 reddent ei sicut fratri suo facere cogitauit,
 & auferes malum de medio tui; vt audientes
 cœteri timorem habeant; & ne quis-

Deut. 19.

quisquã audeat talia facere. Non misereberis eius. *Quod si in vnus hominis peculio, aut vita periculo, testis iniquus tam abominabilis est coram Domino, tantisque plagis vapulat: quid in peculio & sorte hereditatis filij Dei? quid in salute sponsa & corporis I E S V Christi Ecclesie sancta, pro qua ille seipsum tradidit, crucemque ac mortem acerbissimam sustulit? Quid in periculo aeterna salutis, vel integritus tot animarum, si quis aut per negligentiam, aut per benevolentiam, aut per factissimum questum mentitus fuerit: ac pro Sacerdote mercenarium, pro Pontifice lupum, pro Pastore furem & latronem, testimonio suo Ecclesia Dei praefecerit? quibus & quantis hic ipse plagis obnoxius erit? Non est enim hoc consulere populis, inquit sanctus Leo, sed nocere, nec praestare regimen, sed augere discrimen. Integritas enim praesidentium, salus est subditorum. Et difficile est vt bono peragantur exitu, quae malo inchoata sunt principio. Recenset Auerni poenas Latinus Poeta, quas inferentes Orbi praesides, exprobrant noxijs: Vendidit hic auro patriam, dominumque po-*
 ten-

tētem, impoluit. *Quanto iustius, & cū
 maiore horrore id dicetur: Vendidit hic
 Ecclesiam auro, Pastoremq̄, negligentem
 imposuit, nequissimo questu. Omnium dā-
 nationis causam & pœnam sustinebit ille,
 qui malum pastorem & præfectum dedit.
 Qui enim cordi vulnus intulit, totum la-
 sit corpus. Languente enim corde, incaſſū
 membra vigent. Fruſtra miles contendit,
 ſi ab ipſo militia duce erratur. Totius fa-
 miliaꝝ domini ſtatus & ordo nutabit,
 ait ſanctus Leo, ſi, quod requiritur in* Epist. 37.
 corpore, non inuenietur in capite. *Et
 quid eſt communicare peccatis alienis, niſi
 talem effici eum qui eligit, qualis ille eſt,
 qui non meruit ordinari? Sicut autem bo-
 ni operis ſibi comparat fructum, qui rectū
 ſeruat in eligendo Sacerdote iudicium: ita
 graui ſemeripſum afficit damno; qui ad
 ſummum dignitatis ſubleuat indignum.
 Qui cui poteſtatem facit, inquit Chry-
 ſoſtomus, volenti Eccleſiam corrum* Li. 4. de di-
 gnitate sacer-
 dotali.
 pere, is certe author fuerit eorum o-
 mnium, quæ perdita illius audacia
 turbauerit.

*Et ea quidem mala quæ nos diuexant,
 moleſtiſſima nobis ſunt: hæc ipſa religio-
 nis*

nis Christiana in multas partes foeda dilaceratio: hac omnium rerum, tam diuinarum, quam humanarum, summa perturbatio: hic ipse legum, magistratum, iudiciorumque contemptus: hac in obedientia, atque omnis veteris discipline dissolutio: prauis & corrupti mores, discordiae, bella, factiones, tumultus: si autem causas & origines earum rerum diligenter expenderimus, ipsimet tantorum malorum fabri & auctores sumus: dum pueros uiris, laicos Sacerdotibus, profanos religiosis: ignaros doctrina, impuros, & omni scelere a prima sua etate imbutos, rebus sacris, ac hominum expianis vitijs, leuis nonnunquam compendij causa praeficimus: quae postea ne quicquam magno, si fieri possit, redimere vellemus. Sed & populus Christianus nobis compellendus est: Num ita Pastoribus suis, ut par est, iuxta praecipit Pauli, uti Christo Domino, pareat? Num sine voluntate & auctoritate eorum, nihil agat? num debitum honorem & reuerentiam, illis tribuat? num decimas & primitias laborum suorum, magna cum leticia & hilaritate, uti praecipit Dominus, illis reddat? num eos, tanquam parentes,

amet

ammet & reuereatur? num maiorum suorum legibus & institutis obtemperet? qui graui multa eos puniunt: qui presente Archiepiscopo aut Episcopo, vel impurum ali quod uerbum protulerit, vel minus moderate se gesserit: an officium prestare se deo cum Iudæis atque fœdissimis Tyrannis arbitratur, si aliquid contra honorem, sanctitatem & auctoritatem eorum dixerit, aut sanxerit? si in aliqua parte eorum fortunas atque dignitatem læserit: si aliquid ex eorum possessionibus per sacrilegiū auerterit: an filij sunt Belial, filij sine iugo: ut spreto Samuele Deū spernāt, & tradantur in manus Regis Babylonis: ut discant distantiam seruitutis dei, à seruitute Regis terrarū.

Vos deinceps sanctissimi Antistites compello: num fidem semel datam sancte & intemeratè seruetis? num sacrorum Symbolorum & mysteriorum puritatem, uitæ innocentia & integritate representetis? num capita uestra, & manus uestras, sacris unctiōibus nitentes, puras & mundas ad DEVM cæli pro salute populi tendatis: ut sitis omnium quidem bonorum exoratores, malorum autem auersores? num ascendistis ex aduerso,

Ezech 13.

uersò, & opposuistis vos murum pro domo
 Israel: ut stetis in pralio in die Domini?
 Num cum fidei Mose in perfractiōe de-
 iecti parietis domus Domini, vitam &
 corpora vestra, murum pro salute populo-
 rum obiecistis? Num in lege Domini me-
 ditemini die ac nocte, ea discentes qua ali-
 os doceatis? Praeconi enim officium susci-
 pit, quisquis ad sacerdotium accedit: ut
 ante aduentum iudicis qui terribiliter se-
 quitur, ipse clamando gradiatur: si autem
 Legis diuinæ est ignarus, quam clamoris
 vocem daturus est praeo mutus? Num o-
 pibus ad subleuationem pauperum, an ad
 luxum vel auaritiam? num dignitate ad
 salutem et ornamentum populorum, an ad
 ambitionem & vanam gloriam? num po-
 testate ad defensionem afflictorum, an op-
 pressionem debiliū vsi estis? Vestris qui-
 dem fulcimento & praesidio, alienis autem
 terrori & trepationi: ut ruant qui nox-
 iè stant, digni erigantur. Quod si facitis,
 macti ea virtute este, columnæ & firma-
 menta Ecclesiae Dei: expectantes Princi-
 pis Pastorum illam magnificam vocem:
 Euge serue bone & fidelis, quia super
 pauca fuisti fidelis, supra multa te cō-
 stituam

MAT. 25-

stituam, intra in gaudium Domini Mat. 21.
 tui. *Sin aliter, verendum est, ne malos ma-*
le perdat, vineam autem suam locet alijs In epist. ad
operarijs. Nam si is, *inquit Chrysostomus* Tit. ser. 1.
 qui vnam animam scandalizat, expē-
 dit ei, vt mola asinaria suspendatur
 circa collum eius, & demergatur in
 profundum maris; qui tot animas
 scandalizat, & vrbes integras, & ple-
 bes, viros, mulieres, pueros, ciues, ru-
 sticos, incolas suæ ciuitatis, aliarum-
 que vrbium, quæ illi subiectæ sunt,
 quid pati merebitur? Nempe verò si
 plura triplo, quam diximus, addas, ni-
 hil dicturus es, adeò vehemens poena
 atque cruciatus huiusmodi homini Chrysost. de
 bus imminet. Nam si horremus, dū Sacerdotio
 iudicium id nobis subeundum est, in lib. 3.
 quo peccatorum priorum ratio-
 nem reddituri sumus: vt qui sentia-
 mus, nos ignem illum æternum effu-
 gere nequaquam posse; quid illi expe-
 ctandum est, qui tam multorum no-
 mine causas sit ducturus? Quod au-
 tem hoc verum sit, audi beatum Pau-
 lum, seu potius nō Paulum, sed Chri- Hebr. 13.
 stum Pauli ore loquentem: Parete ijs
 I qui

qui præsumunt vobis, & concedite; nam illi vigilant pro animis vestris, tanquam rationem reddituri. Hic cine exiguus tibi videtur comminationis terror? equidem illum, quantus sit, verbis exprimere non possum. Maxime autem puniendi illi fuerint, qui post eum honorem studio atque ambitione adeptum, vel per ignauiam, vel per maliciam, vel per imperitiam re ipsa non recte vtuntur.

Chrysof. de
Sacerdotio
lib. 4.

Lib. 2. de
cōsideratione

In libr. de ijs
qui mysterijs
initiantur,
cap. 2.

Genit. 6.

Tu verò sancte Antistes, noua creatura Dei, diligenter te circumspice, quis fueris, & qui nunc sis. Quis in natura, ait Bernardus, quis in persona; qualis in moribus, quæ sub te, quæ circa te, quæ supra te sunt quid, cui, & apud quos promiseris. Tenetur vox tua, dicit Ambrosius, non in tumulto mortuorum, sed in libro viuentium: præsentibus Angelis locutus es, sed & ipso Christo. Considera demum, cuius dignitatis, sanctitatis, formæ atque pulchritudinis, decoris item & maiestatis, sponsam acceperis: Vna est matri suæ, electa genitrici suæ: ut aurora consurgens: pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies

ties ordinata: cui datum est, ut cooperiat
 se bysino splendenti & candido; quam la-
 uuit & sanctificauit sponsus eius, mundans Ephes. 5.
 eam lauacro aqua in verbo vitae: & tra-
 didit semetipsum pro ea, ut exhiberet sibi
 gloriosam, non habentem maculam aut
 rugam, columbam suam, perfectam suam,
 quam eandem maxima & preciosa dote
 Corporis & sanguinis sui, Sacramentorū,
 hereditatis incorruptibilis & incontami-
 natae, immarcescibilis. conseruata in caelis,
 largè & prolixè donauit: quam tot filiorū
 greges sanguine agni conspersorum, undi-
 que circumstant. Qua igitur diligentia et
 cautione ea ipsa pulcherrima mulierum
 tibi custodienda erit, ut eam reddas san-
 ctam & immaculatam Sponso suo iudici
 futuro: aut pro quali tibi deposito causa di-
 cenda, ratioque reddenda erit? Cogita i-
 tem, quae sit ista tua totius ornatus & ha-
 bitus immutatio? In quo folio confederis, et
 altiore tu quidem locū sortitus es, sed nō Genes. 28.
 tutiorem: sublimiore, nō securiorem. Terri Exod. 3.
 bilis prorsus terribilis est locus iste. Locus, Psal. 131:
 in qua, in quo stas, terra sancta est: locus
 Christi est, ubi steterunt pedes eius. Locus
 illius est, quem constituit Deus dominum

domus sua, & principem omnis possessionis
sua. Istéque Sacerdotij tui externus habi-
tus, tua mentis ornatus designatio est. Nā
Pontificalem gloriam, ut dixi, non iam
nobis honor commendat vestium, sed splē-
dor animarum. Quicquid igitur ista vela-
mina in fulgore auri, in nitore gemmarū
& in multimodis operis varietate signifi-
cant, hoc in tuis moribus actibusque cla-
rescat, ut his utaris ad adificationem, non
ad destructionem: ad ornatum ordinis, nō
ad fastum personæ. Domabis lapos, sed oui-
bus non dominaberis: pascendas utique,
nō premēdas suscepisti tene mediū, si nō vis
perdere modiū. locus medius tut⁹ est: mediū
sedes modi, & modus virtus. Ut qui nunc
gloriosus & conspicuus in hoc habitu nobis
omnibus appares, eundem te in hac ipsa
stola integra & immaculata, iusto & in-
corrupto iudici sistas: ut hic ipse habitus et
ornatus illo die splendor & decus sit in te.
non testimonium contra te. Et quod hu-
mano ore iam diceris, ante eius qui te tali
dignatus est honore, exquisimos oculos exi-
stas. Benedicat igitur tibi Dominus ex Sy-
on, ut videas bona Hierusalem. Det verbū
euangelizanti virtute multa: ipse dexte-

*ram tuam manu sua teneat, & in consilio
deducat, & cum gloria suscipiat: Pastore
pascat, ductorem ducat: ut ipsius gregem
scite ac perite pascas, & videas filios
filiorum ministerij & functionis
tuae: pacem super Israel. Dicat
omnis populus,*

A M E N.

MATTHAEI XVI.

QUID enim prodest homini, si
mundum vniuersum lucretur;
animæ verò suæ detrimentum patia-
tur? Aut, quam dabit homo
cōmutationem pro ani-
ma sua?

PSAL. XXI.

MAnducauerunt & adorauerunt
omnes pingues terræ: in con-
spectu eius cadent omnes qui
descendunt in terram.

PRO CULTV ET AD-
ORATIONE IESV CHRI-
STI, IN EVCHARISTIAE SA-
CRAMENTO.

STANISLAI SOCOLOVII
*apud Serenissimum STEPHA-
NUM Regem habitis
Concio.*

REVERENDISSIMO
AC NOBILISS. ANTISTITI
*Iacobo Bielski Episcopo Lacedemoni-
ensi, Suffraganeo Plocen. &c.
fanti & educatori
suo.*



CONCIONEM
nostram pro cul-
tu & adoratione
Iesu Christi in Sa-
cramento Eucha-
ristiae apud Sere-
nissimum Regem
meum aliquando habitam; nunc au-
tem in hac solenni corporis & san-
guinis

guinis Iesu Christi panegyri diligentius recognitam, ac ad eiusdem Iesu Christi laudem & gloriam, Christiani autem populi ædificationem & consolationem editam, ad R. P. V. fautorem & educatorem meum mitto: ut sit aliquod saltem testimonium & significatio mee perpetuæ erga R. P. V: obseruantiaæ atque pietatis: illius autem erga me immortalium beneficiorum memoria extet sempiterna. Neque enim dissimulare volo, quin semper libenter ubique fateor, quidquid in his studijs profeci, quidquid ornamentorum consequutus sum; id me illius hortatu, cura ac studio, singularique liberalitate consequutū esse. In qua Iesu Christi alumnorum agricultura ac segete, si alij quoque longe locupletiores eodem modo elaborare vellent, multò maiores & vberiores profecto Ecclesiæ Dei fructus parerent; longe cultior & fertilior vinea domini exercituum apparet; longe plures operarios haberet: Verum nihil nos præter nostra curare solemus; utque vel mundo post

mortem nostram terra, iuxta vetus dictum dehiscat, obitumque nostrum obitus omnium rerum consequatur, nihili ducimus. Quam mentem si maiores nostri itidem habuissent, longe deterius vel nobiscum ageretur, quam nunc agitur. Tu quidem nobilissime Antistes maxime ea laude esto, cui non erat satis, ipsum his praestantissimis virtutibus & doctrinis, quibus affatim abundas, esse praeditum; nisi alios ipsis excoli curares, ac veluti haeredes illarum relinqueres. Quo nomine te Deus omnis honestatis ac sapientiae parens, felicem & beatum in multos annos conseruet: omniumque bonorum ubertate augeat; ac ex septuagenario centenarium faciat. Ego quidem eius educationis meae nomine tibi maximas apud omnes bonos gratias ago & habeo, neque unquam agere desinam: utque maiores longe fructus studiorum meorum indies decerpas; si dominus valetudinem hanc meam fractam erexerit, etiam atque etiam vehementer curabo. Vale venerande mihi que charissime senex.

PRO

PRO CVLTV ET AD-
ORATIONE IESV CHRI-
STI IN EVCHARISTIAE SA-
CRAMENTO.



GLORIOSISSIMAE
memoriae institutio-
nis & adorationis cor-
poris & sanguinis do-
mini nostri Iesu Chri-
sti anniuersariam fe-
stiuitate magno gau-
dio & latitia celebramus : quem toto cor-
de & animo, veraque latria, id autem est
unico & proprio Dei cultu, in tam sublimi
sacramento colimus atque veneramur.
Atque hoc illud est, quod nobis in loco ex-
trema impietatis à filijs obijcitur Belial,
propter quod nos ex Christianis idolola-
tras : ex populo Dei populum infidelem : ex
filijs Dei filios aeternae gehennae factos esse
clamitant, monstrosisque cognominibus
ipsi maiora monstra conscindunt. Dum
nos iam Artolatras, id est, panis adora-
tores, iam Sarcolatras, id est, carnis cultor-
es, iam Anthropolatras, hominum scet

adoratores appellare solent. In quo cum summus quasi cardo causæ ver setur, in ipsiusque Iesu Christi castissimi & sanctissimi coniugij dedecus & contumeliam, eiusque sanctæ & immaculatæ sponsæ conuicium ea res feratur: mihi dissimulandum tantum nefas non putavi, ipsum enim sponsum accusant quasi ille thalami sui non fuerit satis diligens custos; quasi sponsam suam in fœdissimum, spiritualis fornicationis, idololatriæ, inquam, scelus, contra veterum vatum promissa & firma sua decreta incidere permiserit: quasi denique ipse pater omnipotens sepulchrum filij sui, quod gloriosum futurum per Isaiam prædixit, tali abominatione contaminari passus fuerit, super quod usque adhuc hoc tale sacramentum ab omnibus gentibus, quæ sub cælo sunt, & qui Christi nomen gerunt, consecratur, offertur, & adoratur; aut tantquam omnino nobis alius Messias cum Iudeis expectandus sit, qui iuxta prædictionem Prophetarum non idola tantum detere debebat: sed nomina etiam idolorum, non ut adorentur modo, sed ut ne recedantur quidem homines illorum amplius. Si enim hæc Christus dominus morte &

resur-

Isaie 11.

Zach. 13.

resurrectione sua non sustulit, alius certe nobis Messias expectandus erit, qui hac auferat, quique ab hac fœditate vineam suam expurget. Quæ omnia cum & ipsius æterni parentis summa providentiæ præiudicant, & Iesu Christi curam & sollicitudinem, quam de sua sponsa habet diminuant, & totam fidem Christianam fœde contaminent, & Ecclesiæ Dei eam notam inurant: qua stante ipsa sponsa Christi amplius esse nõ possit: obstruendum igitur Dei præsidio os loquentium iniqua iudicavimus, ac de eâ adoratione, quæ Iesu Christo in tali sacramento constituto debetur, pauca ex multis adferre oportere existimavimus: Proponemus igitur in primis scandala & accusationes aduersariorum, deinde totam rem per verissimas, ac quasi immediatè ex sacra scriptura, totaque analogia doctrinæ sanctæ propositiones excerptas, vsuque ipso veteris Ecclesiæ perpetuòque consensu concludemus: demum accusationibus aduersariorum, quantum breue feret tempus, respondebimus. Vestrum erit, conatum nostrum vestra deuotione adiuuare, Christo Domino prius sublimi reuerentia, in eodem sacramento adorato.

Osa

O salutaris hostia. &c.

Aug. li. 20 in
Faust. ca. 15
& 16.

Qui Ecclesiam Dei ob cultum & adorationem huius Sacramenti accusarunt, primæ erant gentiles: ut vel inde rei antiquitas cognoscatur, qui Christianos insimulabant, Bacchum & Cererem speciebus panis & vini adorare. Coniucium hoc fuit à nostro instituto alienissimum.

Auerrois item iactatur dictum: Quoniã Christiani Deum suum quẽ adorant manducant: Sit anima mea, dicebat ille, cum Philosophis. Habent autem hoc proprium hæretici, ut quibus vulneribus & contumelijs quondam gentiles Ecclesiam Dei la-

contra Iulia.

cerabant, eadem ipsi refricent. Quod in Sanctorum inuocatione cum Iuliano (referente Cyrillo) fecerunt in reliquis san-

Eunap. in vitis Sophist.

ctorum venerandis, cum Eunapio, qui dicebat, nos salitos deos colere, nunc faciunt: ut facile seipso prodant, & in illorum se locum successisse, & eodem quo illi spiritu agitari. Hos sequuti sunt Manichæi: qui cum nihil carnis & sanguinis, sibi persuadebant, inesse sacropam & vino, dicebant à Catholicis puras creaturas adorari, & se ab ipsis inique accusari, quod adorarent solem ipsum, qui esset creatura. Quin etiã,

ut ex

ut ex Leone Papa perspicitur, verborum
 Christi proprietatem de Eucharistia ca-
 lumniabantur, & de ea disputare non ve-
 rebantur, sed frustra. Suum tamen erro-
 rem nostrò instituto, confirmabant, Deum
 scilicet per omnia esse fusum, & in omni-
 bus partibus creaturæ adorandum. Sunt
 enim hæretici venenosæ araneis simillimi,
 qui ex omni etiam saluberrima herba, ve-
 nena exitiosa ad confirmandos suos erro-
 res sugunt. Consequutus est postea Nesto-
 rius, qui cum naturarum concomitantia
 diuinæ inquam atque humanæ in Christo
 negasset, sicut Anthropophagiam in Eu-
 charistia asserebat, ita de Antropolatria
 id est hominis adoratione, cælum & terrã
 ut inquit Cyrillus, sugillabat. Multum
 deinceps fuit ea de re silentium, maximis
 autem apud omnes ecclesias consensus: ita
 ut cum de manducatione aliqua dubitã-
 tio extitisset, de adoratione nulla unquam
 extitit: ut ex illis verbis Petri venerabilis
 clarum est. Si ad honorandum, si ad ado-
 randum tantummodo daretur, questio nõ
 esset: sed quia etiam ad manducandum
 datur, non potest nos ut illos quondam non
 mouere. Quod enim honorari, quod ado-
 rare

Pantifici.

Cyrl. in ex-
 positione Sy-
 nodi Nicani.

Lib. 1. cap. 1.

debeat, fidelibus omnibus certum est: quod autem comedi, quia comestionis ratio non videtur, admirabile, & super omnia stupendum est. Exortus est tandem ante quingentos annos Berengarius, Andegauer. Archidiaconus, sub Leone nono Papa, homo vanæ mundi gloriæ avidus, animo elatus, conuiciator iniectus, ut Guit mundus eius equalis testatur, qui cum præsentiam Iesu Christi in hoc sacramento negasset, ita ut rei natura fert, eius adoratores idololatria reos esse accusavit: quem tamen veritatis tandem vis iniecta, & vniuersalis de hoc sacramento consensus euicit: ita ut morientis verba hæc fuisse extrema ferantur: Nos sane credimus, post benedictionem Ecclesiasticam, mysteria illa verum esse corpus & sanguinem Saluatoris, adducti verbis & veteris Ecclesiæ auctoritate: Et. Hodie in die apparitionis suæ apparebit mihi Dominus meus Iesus, propter pœnitentiam, uti spero, ad gloriam: vel propter alios, uti timeo, ad pœnam. Mortuo Berengario extinctum est penitus incendium. Quod si quæ exoriebantur scintilla, statim vi veritatis supprimebantur, donec accensæ sunt illæ, quibus nunc orbis

De gestis
Anglorum.

orbis terrarum accensus flagrat, faces, Carolstadius, inquam, Zuinglius, Oecolampadius, Petrus martyr, Calvinus, & istorum primi parentes, Lutherus, Philippus, Hussius, Vicleuv, qui ut ceteros omnes prateriti temporis errores ex orco consepultos excitarunt: ita & in hac ipsa parte cum Ruso Dracone, contra castissimam sponsam Christi ora sua aperuerunt.

Qui vel quod Christum dominum ex hoc sacramento penitus sustulerunt: vel quod cum pane & vino simul esse docuerunt: vel quod extra usum sacramentum esse negauerunt: vel quod hoc nusquam iussu, nusquam imperatum sit: vel quod non eo fine ut colatur institutum: vel quod ipsa sola sumptione illud satis coli putarunt: vel quod alia sacramenta item non adorarentur: vel quod in illis locis nonnunquam est, ubi indeceter colatur: nullo pacto adorandum esse docuerunt. Hæc igitur sunt scandala, hæc Draconis blasphemia, hæc aduersariorum accusationes. Quæ tamen vel ipsa illud docent, cum adorationis sacra Eucharistia usum iam à primis ecclesie temporibus extitisse, ut quæ iam ab ipsis Gentilibus Iudeisque sint impugnata,

tunc

tum quos duces & authores isti sequantur cum quibusque communem causam habeant, Gentiles inquam, Iudaeos, atque fœdissimos hereticos abunde indicant. Nunc quibus fundamentis ac veluti columnis subnixæ ecclesia Dei vera Christi sponsa, & istorum ora obstruat, & suam fidem & integritatem, ac innocentiam erga sponsum suum tueatur & vindicet, paucis videamus. Hoc autem est, axiomata quædam, id est, propositiones per se & natura sua notas ac fide dignissimas proponamus. Ex quibus illud constet, eos quidem qui sacramentum hoc colunt, ab omni idololatria alienissimos esse, ut illos qui illud profanè tractant, maiestatis diuinæ impiissimos violatores existere.

Primum igitur illud fundamentum sit prima propositio fide dignissima. Deum, ubi-
cunque sit, & in quacunque specie adorandum esse, præsertim ubi certa & evidètia, eaque diuina sint eius præsentia et testimonia. Apparuit Dominus in forma hominis deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, primis parentibus nostris Adæ & Eæ: statimque illi metu ac reuerentia perculsi, absconderunt se. Ap-
paruit

paruit Dominus Abrahæ patri omnium
 credentium in specie trium angelorum in
 conualle Mambre, quos cum tres vidisset, ^{Genes. 18.}
 unum adoravit. Apparuit dominus Iacob
 in forma ipsi soli cognita in mixis scale, sup ^{Genes. 28.}
 quâ ascendebant angeli & descēdebāt, sur-
 git et adorat, vere Deus est in loco isto, & e-
 go nesciebā, nō est hic aliud nisi domus Dei
 & porta cæli. Apparuit Dominus Moysi ^{Exod. 3.}
 in flamma ignis de mediocubi, quo cum libe-
 rius accedere voluisset, audit, non appro-
 pinques huc, solue calceamentū de pedibus
 tuis, locus enim in quo stas, terra sãcta est.
 Et abscondit Moysen faciem suam, non
 enim audebat aspicere contra Deum. Ap-
 paraturus Dominus cuncto populo in mon-
 te Sinai, in caligine nubis, sic praecepit: ^{Exod. 19.}
 Descende & contestare populum, ne forte ve-
 lit transcendere terminos ad videndum
 Dominum, & pereat ex eis plurima mul-
 tudo. Sacerdotes quoque qui accedunt
 ad Dominum sanctificentur, ne percutiat
 eos. Vade ad populū, & sanctifica eos, ho-
 die & cras lauent vestimenta sua, ne ap-
 propinquent vxoribus suis. Omnis qui vi-
 cinus tetigerit montem, morte moriatur,
 siue homo, siue iumentum fiat, non viuet.

Manus tanquam nefarium hominem non
 tanget, sed lapidibus & iaculis obruetis
 illum. Sic postea in Sanctis Sanctorum, sic
 in caligine templi, sic in arca adorari sole-
 bat, idque ab illo populo, qui ad omnem ido-
 lolatriam natura effusus fuit: Neque verò
 tantum ea lex humanam attingit naturam, sed
 omnem item creaturam maris, inquam, montes et
 flumina, & quidquid conspicitur. Antecede-
 bat dominus populum suum in nube & colis
 nignis, & statim illud fit quod Psaltes
 magnifice celebrat: Mare vidit & fugit,
 Iordanis conuersus est retrorsum. Montes
 exultauerunt ut arietes: & colles sicut ag-
 ni ouium. Quid est tibi mare quod fugisti
 & tu Iordanis, quia conuersus es retror-
 sum? Montes exultastis sicut arietes: &
 colles sicut agni ouium. A facie Domini mo-
 ta est terra: à facie Dei Iacob. Qui con-
 uertit petram in stagna aquarum: & ru-
 pem in fontes aquarum. Sed & cælum ip-
 sum eadem obligatur lege, Deus, inquit
 scriptura: Cum egredieris in conspectu po-
 puli tui, cum pertransires in deserto. Ter-
 ra mota est: etenim cæli distillauerunt à
 facie Dei Sinai à facie Dei Israel. Stet igitur
 firma lex, Deum in omni specie & loco
 ado-

Psal. 113.

Psal. 67.

adorandum esse, ubi certa eius praesentia
testimonia & indicia extiterint.

Secundum causa fundamentum illud
est, Iesum Christum verum Deum & ho-
minem esse. Fuit haec fides principis Patri-
archarum Abrahæ, qui mittens seniore[m]
seruum domus suæ, quarèda uxoris causa
filio suo Isaac, sic inquit: Pone manum tu- Genes. 24.
am subter femur meum, ut adiurem te per
Deum cæli & terra, ut non accipias uxo-
rem filio meo de filiabus Chananeorum.

Quem in lumbis & femore gerchat, hunc
Deum cæli & terra vocat magno myste-
rio. Fuit haec eadem fides magni Iob. Cre- Iob. 19.

do, inquit, quod redemptor meus viuit, &
in nouissimo die de terra surrecturus sum:
Et in carne mea videbo Deum saluatorem
meum. Quem visurus sum ego ipse & non
alius, & oculi mei conspecturi sunt. Haec Ierem. 14.
ipsa fides fuit omnium Prophetarum:

Quare quasi colonus futurus es in terra,
inquit Hieremias, & quasi viator decli-
nans ap. manendum? Quare futurus es
velut vir vagus & fortis, qui non potest
saluare? Tu autem in nobis es domine: &
nomen tuum inuocatum est super nos: ne
derelinquas nos. Hic est Deus noster, inquit

Baruch. 3.

Baruch, & non estimabitur alius aduersus eum: hic adinuenit omnem viam disciplinae, & tradidit illam Iacob puero suo & Israel dilecto suo: post hac in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Hac eadē fides est Apostolorum. Et verbū

Ioan. 1.

(inquit Ioannes) caro factū est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriā eius, gloriā quasi unigeniti à patre. plenum gratiæ &

Rom. 9.

veritatis. Optabam enim ego, inquit Paulus, ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundū carnem, qui sunt Israelitæ, quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentū, & legislatio, & obsequium, & promissa, quorum patres, & ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula: Amen.

Hanc eandem fidem vna sancta Catholica & Apostolica confitetur Ecclesia. Est ergo fides recta, inquit Symbolum, ut credamus & confiteamur, quia Dominus noster Iesus Christus Dei filius, Deus & homo est. Deus est ex substantia patris ante secula genitus: et homo est ex substantia matris in seculo natus. Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali & huma-

in carne subsistens: aequalis patri secundum diuinitatem: minor patre secundum humanitatem. Qui licet Deus sit et homo, non duo tamen, sed vnus est Christus. Vnus autem non conuersione diuinitatis in carnem: sed assumptione humanitatis in Deum. Vnus omnino nõ confusione substantiae: sed unitate personae. Nam sicut anima rationalis & caro vnus est homo: ita Deus & homo vnus est Christus. Ut qui alterum istorum non confiteatur, illũ aut Nestorianum, aut Ebionitam, vel Arianum esse oporteat. Quam fidem magnificè explicat vetustissimus Irenæus: Si enim homo non vicisset inimicum hominis, non iustè victus esset inimicus. Rursus autem nisi Deus donasset salutem, non firmiter haberemus eam, & nisi homo coniunctus fuisset Deo nostro, non potuisset particeps fieri incorruptibilitatis. Oportuerat enim mediatorem Dei & hominum, per suam ad vtrosque domesticitatẽ & ad amicitia & concordiam vtrosq; reducere, & facere vt & Deus assumeret hominẽ, & homo se dederet Deo. Qua enim ratione filiorum adopti-

*Irene. li. 3:
c. 20. & 21.*

onis eius participes esse possemus, nisi per filium eam quæ est ad ipsum, recepissemus ab eo communionem, nisi verbum eius communicasset nobis, caro factum? *Et paulò post*, Propter hoc enim verbum Dei homo, & qui filius Dei est, filius hominis factus est, commixtus verbo Dei, vt adoptionem percipiens fiat filius Dei. Non enim poteramus aliter incorruptelam & immortalitatem accipere, nisi aduniti fuisset incorruptelæ & immortalitati. Quemadmodum autem adunari possemus incorruptelæ & immortalitati, nisi prius incorruptela & immortalitas facta fuisset id quod & nos, vt absorberetur quod erat corruptibile ab incorruptela, & quod erat mortale ab immortalitate, vt filiorum adoptionem perciperemus? Vtraque scripturæ diuinæ de eo testificantur; & quoniam homo indecorus & passibilis, & super pullum a fine ascendens; aceto & felle potatur, & spernebatur in populo, & vsque ad mortem descendit, & quoniam dominus sanctus & mirabilis consilia-

rius

rius, & decorus specie, & Deus fortis
 super nubes veniens vniuersorum iu-
 dex; omnia de eo scripturæ prophe-
 tabant. Sicut enim homo erat vt ten-
 taretur, sic & verbum vt glorificaretur,
 requiescente quidem verbo, vt
 posset tentari & inhonorari & cruci-
 figi & mori; absorpto autem homi-
 ne in eo quod vincit, & sustinet, & re-
 surgit, & assumitur. Hic igitur filius
 Dei dominus noster existens verbum
 patris, & filius hominis, quoniam ex
 Maria, quæ ex hominibus habebat ge-
 nus, quæ & ipsa erat homo, habuit se-
 cundum hominem generationem,
 factus est filius hominis *Hactenus Ire-
 næus. Notant aut hoc loco sancti Patres,
 omnē honorē & adorationē, nō ad aliquā
 naturā, aut partē personæ sed ad totā refer-
 ri personā. Neq. n. in homine aut solā a-
 nimā rationalē, aut solā carnē colimus, sed
 totā personā ex anima ratiōe particeps, &
 humana carne constitutam. Sic in Christo
 domino, non aut solam diuinitatem, aut
 solā humanitatem colimus: sed diuinita-
 tem simul & humanitatem vna adora-
 tione veneramur, quia utraque natura*

Psal. 21.

Psal. 71.

Hebr. 1.

Psal. 96.

Luce 5.

unam constituit personam. De tali adoratione dixit Psalter: Et adorabunt in conspectu eius uniuersa familia gentium. Et in alio Psalmo: Et adorabunt eum omnes reges terra, omnes gentes seruient illi: quia liberauit pauperem à potente, & pauperem cui non erat adiutor. Et D. Paulus. Cum introduceret, inquit, primogenitum in orbem terrarum, dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei, quasi diceret, non tum tantum cum esset in sinu patris: non tum tantum cum esset in forma Dei adoratum fuisse ab angelis: sed tum etiam cum introduceret, inquit, eum in orbem terrarum, hoc est per incarnationem dicit. Et adorabunt eum omnes angeli eius. Talem Ioannes in utero adorauit, indignumque se esse dixit, cuius corrigiam calceamenti solueret. Pastores in praesepe, reges in cunis, discipuli in nauicula: Apostoli in caelum ascendentem adorarunt. Eum Petrus allocutus est: Domine discede à me, homo enim peccator sum. Talem Thomas Deum & dominum suum esse professus est. Rectè igitur statuit antiquum concilium: si quis non una adoratione honorificat Emanuelem, hoc est, Deum & hominem, secundum quod

quod factum est verbum caro, anathema sit.

Tertium illud est presentis negocij fundamentum: Diuinitatem Iesu Christi ab ea quam semel accepit humanitate nunquam separari posse. Nam cum à Deo nemo nisi per ipsum peccatū separari possit, cum in eius humanitatem nullum unquā cadat peccatum, nullus error, nulla macula: Venit inquit, princeps huius mundi, & in me non inuenit quidquam: impossibile est item ullam unquam in eo separationē fieri. Docet hoc liber Sapientie: Cū Dei verbum, Dei sapientiam nusquam, ne in morte quidem hominem illum, in figura Iusti Ioseph deseruisse testatur. Hæc verditum iustum non dereliquit, sed à peccatoribus liberauit eum; descendit que cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit illum: donec afferret illi sceptrum regni, & potentiam aduersus eos qui eum deprimebant: & mendaces ostendit, qui maculauerunt illum: & dedit illi claritatem æternam. Nam illa ipsa diuinitas & cum anima eius ad inferos descendit, potestatesque tenebrarum deuicit; amplissimamque prædam inde tulit. Et eadem di-

Ios. 14.

uinitas corpori in sepulchro adfuit, qua illud
 & ab omni corruptione conseruauit,
 & postea illud ipsum corpus uiuificauit, ac
 ueluti arcum resolutum iterum intendit,
 dum suam corpori restituit animam. Do-
 cet hoc longè expressius longè clarius D. Io-
 hannes: In hoc cognoscitur spiritus Dei: om-
 nis spiritus qui confitetur IESVM Chri-
 stum in carne uerisse, ex Deo est: et omnis
 spiritus qui soluit Iesum, ex Deo non est: et
 hic est antichristus, de quo audistis quoni-
 am uenit, & nunc iam in mundo est. Quis
 autem soluat Christum, nisi qui eius diuini-
 tatem ab humanitate separet. Rectè igitur
 Aethiopes in ea adoratione, quae ad eleua-
 tionem Sacramenti fit, dicunt, Verè hoc est
 corpus & sanguis Emanuel Dei nostri,
 Amè, Credo, Credo, Credo, & nunc & usq;
 in secula. Et mox addunt ter itè, credo, credo
 credo, quod diuinitas nõ sit separata ab hu-
 manitate, ne hora quidè, ne per ictum oculi.

Quartum & ultimum est causa fir-
 mamentum: Sub speciebus panis & uini
 uerum & totum Christum contineri: do-
 cet hoc ille qui peccatum non fecit, & dolus
 non est inuentus in ore eius: qui est uia, ue-
 ritas, & uita: cui omnis impossibilitas ce-
 dit,

cedit, qui stultam fecit mundi huius sapi- ^{1. Cor. 1.}
 entiam: cuius verbum & manus est omni-
 potens: qui nos supra captum nostrum ada- ^{2. Cor. 1.}
 mauit, Et de quo Paulus illud effatur: Dei
 enim filius Iesus Christus, qui in vobis per
 nos praedicatus est, per me & Sylvanum
 & Timotheum, non fuit, in illo est, & non,
 sed est, in illo fuit. Neque simpliciter & ut-
 cunque docet, sed sub quatuor testibus,
 ut omne constet verum. Tribus, inquit, E-
 uangelistis, & quarto doctore gentium
 Paulo: rem totam sic testes exponunt: Cæ- ^{Matt. 26}
 nantibus autem eis accepit Iesus panem, et
 benedixit & fregit: deditque discipulis si-
 is, & ait: Accipite, & manducate, hoc est
 corpus meum, quod pro vobis tradetur. Et
 accipiens calicem gratias egit, & dedit il-
 lis dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est san-
 guis meus novi testamenti, qui pro multis
 effundetur in remissionem peccatorum &c.
 Exaudis voces rem clare exprimētes. Hoc
 est corpus meum. Hic est sanguis meus: ex-
 audis interpretationem vocum, ne quid
 insit ambigui, quod pro vobis tradetur,
 quod pro nobis offerretur. Traditus est pro
 nobis Deus & homo: traditur & nobis De-
 us & homo. Quod si uberiorem interpre-
 tationem

tationem audire vis, audi eundem Christum apud Iannem latius suum testamentum interpretantem: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem: in me manet, & ego in illo. Sicut misit me viuens pater, & ego viuis propter patrem, & qui manducat me, & ipse viuet propter me. Hic est panis qui de cælo descendit: non sicut manducauerunt patres vestri manna & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Audis, in me manet & ego in eo: ipse igitur est in sacramento. Audis, qui manducat me, viuet propter me: ille igitur ipse uiuificat. Audis, qui de cælo descendit. Deum autem verum descendisse negare non potes, nisi Arrianus aut Ebionita esse velis: Hucque illud pertinet, secius, quam isti interpretantur, hæc verba spiritus & vita sunt, Caro non prodest quidquam, non quòd hic non sit vera caro: sed quòd cum spiritu & vita, hoc est, vero Deo coniuncta, ut quemadmodum ille viuit propter patrem, ita & nos viuimus propter illum: ut rectè interpretatur Cyrillus. Ex quibus locis præclare cõcludit magnus ille Hilarius:

Larius: de veritate, inquam, carnis & sanguinis Christi non relictus est ambigendi locus, ut illud compleatur: Et videbit omnis caro salutare Dei, quamuis in enigmate, quamuis in speculo, quamuis in sacramento. Haec tenus fundamenta.

Adjiciamus his fundamentis, ex quibus vi & natura sua sequitur, hunc ipsum Deum & hominem, qui sub eo ipso continetur sacramento, adorandum esse: Pauli doctrinam atque veterum patrum instituta. Pauli igitur doctrina quae est? Duae sunt partes uniuersi cultus diuini, quem Graecolatinae appellant: Interior, inquam, cultus & exterior: Interioris cultus illa sunt partes fides, charitas erga Deum & proximum, discretio, atque dijudicatio creatoris à rebus quae creatae sunt, sui probatio, puritas mentis, reconciliatio. Exterior cultus illis partibus constat: Ieiunio, sobrietate, corporis puritate, loci temporis obseruantia, omni denique honesta & submissa totius situs nostri compositione, utramque hanc partem cultus diuini ad hoc sacramentum adferendum esse docet Paulus, illudque omni parte adorandum, idque cum graui, aeterni iudicij comminatione. Quod ita esse

seuo

1. Cor. 10.

se ut melius animaduertamus, ipsius Pauli doctrinam audiamus: Non potestis calicem domini bibere, & calicem demoniorum: non potestis mensa domini participes esse, & mensa demoniorum. Primum quidem conuenientibus vobis in Ecclesiam, audio scissuras esse inter vos: & ex parte credo: nam oportet & hereses esse: ut qui probati sunt, manifesti fiant in vobis. Conuenientibus ergo vobis in unum, iam non est dominicam cœnam manducare. Vnusquisque enim suam cœnam presumit ad manducandum: & alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis, & confundetis eos qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos, in hoc laudo. Et paullo post. Itaque quicumque manducauerit panem, & biberit calicem domini indignè, reus erit corporis et sanguinis domini. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus domini. Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. Quod si nosmetipsos

2. Cor. 11.

metipfos dijudicaremus, non utique dijudicaremur. Dum iudicamur autem, à domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur. Itaque fratres mei, cum veneritis ad manducandum, invicem expectate. Si quis esurit, domi manducet: ut non in iudicium conveniatis. Cætera autem cum venero disponam. Et Pauli quidem doctrina hæc est: quæ verum cultum ipsi soli Deo debitum huic sacramento hoc quidem modo tribuit, ut audistis, modo non surda aure audieritis. Nunc ad sanctorum Patrum doctrinam nos referamus. Quo enim spiritu, locutus est Paulus aut Petrus eodem spiritu locutus est August. Chryso. et cæteri sancti Patres: Cumq; omnium sententias referre unius orationis modus non ferat, quatuor solis testibus locupletissimis contenti erimus: duobus inquam occidentalis Ecclesia, & duobus orientalis Patribus.

Primus igitur sit testis Ambrosius: Non mediocris igitur quaestio, & i-
deo diligentius consideremus, quid sit scabellum. Legimus enim alibi: Coelum mihi thronus, terra autem scabellum pedum meorum. Sed nec terra adoranda nobis, quia creatura est

Lib 3 de sp
ritu sancto
cap. 12.

est Dei. Videamus tamen ne terram illam dicat adorandam Propheta, quam Dominus Iesus in carnis assumptione suscepit. Itaque per scabellum terra intelligatur, per terram autem caro Christi, quam hodie quoque, in mysterijs adoramus, & quam Apostoli in Domino Iesu (vt supra diximus) adorarunt. Neque enim diuisus Christus, sed vnus. Neque cum adoraretur tanquam Dei filius, natus ex Maria negabatur.

In *psal.* 98.

Secundus testis Augustinus est: qui eundem locum tractans, eademque verba expendens, inquit: Et adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est. Quid habemus adorare? Scabellum pedum eius. Suppedaneum dicitur scabellum. Quod dicunt græci ὑποπόδιον, dixerunt Latini scabellum; & alij dixerunt suppedaneum. Sed videte fratres quid nos iubeat adorare. Alio loco Scriptura dicit: Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum. Ergo terram nos iubet adorare, quia dixit alio loco, quod sit scabellum pedum Dei? Et quomodo adora-

adorabim⁹ terrā; cū dicat apertè scriptura: dominū Deū tuū adorabis; & hic dicit. Adorate scabellū pedū eius? Exponēs autē mihi quid sit scabellū pedū, ei⁹ dicit: Terra autē scabellū pedū meorū. Anceps fact⁹ sū, timeo adorare terrā, ne dānet me qui fecit cœlū & terrā. Rursū timeo nō adorāre scabellū pedum Domini mei, quia Psalmus mihi dicit; Adorate scabellū pedū eius. Quæro quid sit scabellū pedū ei⁹, & dicit mihi scriptura; Terra scabellū pedū meorū. Fluctuās cōuerto me ad Christū, quia ipsū quæro hic, & inuenio quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum eius. Suscepit enim de terra, terrā, quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulauit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit; nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adouerit; inuentum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, & non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorā-

L do.

do. Nunquid autem caro viuificat? Ipse dominus dixit; cum de ipsa commendatione eiusdem terræ loqueretur: Spiritus est qui viuificat, caro autem nihil prodest. Ideo & ad terram quamlibet cum te inclinas atq; prosternis, non quasi terram intuearis, sed illum sanctum, cuius pedum scabellum est quod adoras; propter ipsum enim adoras; ideo & hic subiecit, Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est.

*Hom. 24 in
priorē ad Cor*

*Ex orientalibus tertius testis Chryso-
stomus:* Hoc corpus in præsepi reueri-
ti sunt Magi, & viri impij & barbari,
longo itinere confecto, cum timore
& tremore plurimo adorauerunt. I-
mitemur igitur saltē barbaros nos,
qui cœlorum ciues sumus. Ili enim
cum id præsepe & tugurium tantum,
nēque eorum quidquam quæ tu nūc
intueris, viderunt, summa acceffe-
runt reuerentia & horrore. Tu verò
non in præsepe id, sed in altari non
mulierem, quæ in vlnis teneat, sed sa-
cerdotem præsentē, & spiritum per-
abunde super proposito diffusum sa-
crifi-

crificio vides. Nec simplex, vt illi, corpus intueris, sed & eius potentiam & omnem cognoscis administrationē, & nihil eorum quæ per ipsum facta sunt ignoras, & diligenter initiatus es in omnibus. Excitemur igitur horrescamusque, & maiorem quàm barbari illi præ nobis feramus pietatem, vt non simpliciter neque frigidè accedentes vehemētiori igni caput obijciamus. Hæc autem non dico, vt nō accedamus, sed ne temerè accedam⁹.

Et in alio loco idem Chrysostronus: Per id tempus & angeli sacerdoti assident, & cœlestium potestatum vniuersus ordo clamores excitat, & locus altari vicinus, in illius honorem qui immolatur, angelorum choris plenus est. Id quod credere abundè licet, vel ex tãto illo sacrificio, quod tum peragitur. Ego verò & commemorantem olim quendam audiui, cùm deceret senem quendam virum admirabilem, ac cui reuelationum mysteria multa diuinitus fuissent detecta, sibi narrasse, se tali olim visione dignum habitum à Deo esse, ac per illud

*Homi. 61. ad
populum An-
tioch. & Ho-
mil. 3. Ephes.
Idem li. 6. de
sacerdotio.*

quidem tempus de repente angelorum multitudinem conpexisse (quatenus humanus ad spectus ferre poterat) fulgentibus vestibibus indutorum, altare ipsum circumdantium; denique sic capite inclinatum, ut si quis milites præsentem rege stantes videat: id quod facile mihi ipse persuadeo. Item & alius quidam mihi narravit, non ille quidem ab alio edoctus, sed dignus habitus, qui id & vidisset ipse, & audisset, quod qui de vita hac emigraturi sunt, si mysteriorum huiusmodi cum pura & munda conscientia fuerint participes spiritum efflaturi, ab angelis illorum corpora satellitum more stipantibus, propter assumptum illud sacrum hinc rectà in coelum abducuntur.

Chrysostrum Damascenus sequitur.

Proinde cum omni timore & conscientia pura & indubitata fide accedamus, veneremur ipsum omni puritate corporis & animi. Accedamus ad eum desiderio ardenti, manus in crucis modo figentes, crucifixi corpus suscipiamus. Amplissimum & illud est

est Nicænæ Synodi testimonium, quæ dicit, Non esse attendendam eam humilitatem specierum, sed fide attende agnum tollentem peccata mundi, in mensa positū & præciosum & honorandum eius sanguinem, eumque honora, mirare & mente continge. Cui quidem uniuersæ vetustatis cōsensui, adiungendus est omnium Ecclesiarū quæcunque in orbe sunt consensus ac conspiratio: orientalium (inquam) occidentalium, Africanorum, ac nostrarum septentrionalium: in quarum omnium liturgijs, statim post consecrationem magno cultu & reuerentia hoc ipsum sacramentum populo adorandum proponitur. A quo perpetuo consensu recedere & unius & alterius hominis male feriatu conuicijs & maledictis adherere, an non extrema est demencia? Continere me hoc loco non possum Stephane Rex, quin apud te Imperatorem maximum, hosque tuos milites inusitato quidem exemplo, sed hoc loco maxime accommodato cuiusdam militis Gregorij Sanocei breuem dehortationem recitem, qua post deuictos Turcos Vladislao Regi militibusque suis religioso furore percitus dissua-

Li 3. Philip-
pi Calima.

det, ne prolato sacramento Eucharistie iurent: neue illud prophanis Turcarum oculis subijciant. hoc enim Turca ad firmandam pacem, quam hac ratione sanctissimam putabant fore, à Rege Vladislao exposcebant, ut vel inde sine omni furo et fallacia cognosci possit, quo loco hoc sacramentum fieret, quàm sancte tam à Christianis quàm à Saracenis coleretur & adoreretur. Deus, inquit, Deus tam execrabile scelus auerit, ut qui paulo ante contra impios pugnantibus, oia tristitia, difficiliaque perpessi sumus, dum vinceremus: nunc rursus pro religione armati, & propemodum victoriam manum tenentes, sacrosanctum divini mysterij arcanum sub prophanorum oculis sponte proferamus. Quid prima, quid hac secunda expeditione à nobis petitum? quid ad eam ingentem belli molem ex tam diversis inter se regionibus Italia, Burgundia, Thracia euocare? quid denovo arma induere? quid hucusque progredi oportuit, si sacra nostra prodenda erant? minori nostro facinore per ignaviam domi inermes sedendo, pati potuimus illa prophanari, quàm nunc sumus armati prodituri. Pudeat nos gratulationum, quibus nuper victores accepti: pudeat

pudeat laudum, quibus, ut Christiana rei
 seruatorum prope in cælum modo elati su-
 mus: pudeat denique obnoxios adeò nefa-
 rijs cogitationibus, nos dignos haberi, aut
 in quibus totius Europæ reges, & princi-
 pes spes suas collocauerint, aut pro quibus
 innumerabiles populi & nationes, omni-
 bus in templis ad Deum supplices manus
 tendant, pro victoria nostrâ vota nuncu-
 pando. Quanto sanctius prisca Romani,
 qui, capta à Gallis urbe, ne sacra sua con-
 spici possent, terrâ infodere? Nos victores
 nostrâ ultro impijs prodere cogitamus, cõ-
 mitemusquæ, ut religiosius ab illis inanes
 quedam diuinorum persuasiones seruata
 dicantur, quam à nobis sacrosanctum im-
 mortalitatis nostræ pignus, ac mysterium:
 & publice nos eo facinore cõtaminabimus,
 quod si vnus quispiam sacrilega audacia
 perpetraret, seuerissime vindicaremus. O-
 mitto quantum piaculi apud Deum con-
 trahemus, qui non modo ab ipsius causa de-
 fecerimus, sed ipsum etiam testem, ac pig-
 nus defectionis nostræ impijs exhibueri-
 mus: quid de nobis hostes sentire poterunt,
 videntes nos tantipacem aestimasse, ut nõ
 minus sacrilegè iurauerimus, quam ipsi

impudenter postulauerint? Sed, ut hæc, pacis utilitas leuiora uideri faciat: omnia quæ aut in nostra, aut aliorum secta, religiosa altius elata sunt, quam quæ humanis sensibus attingi queat, ceremoniarum uelamento, sanctoque arcano mortaliu[m] animis infunduntur. Quæ si nuda in medium protrahantur, quia nullo humane rationis argumento subsistunt: & temerè asseuerari, & impudenter peti, ut credantur, apparet. Audiuerè dudum hostes, deum à nobis præsentem coli, asseuerarique in Sacrariorum penetralibus: & quia ignorant, quo id pacto cõtingat, quum de eo cogitant, nihil simile his, quæ terrena, & momentanea cognoscunt, sed quicquid extra mortalitatis sortem positum putant, mentibus eorum occurrit, & id, quod quale sit nesciunt, tanta nostræ de eo asseuerationi par figurant. Nos hanc ipsorum persuasione[m], patefactis arcanis nostris, corrumpemus, elatasque ad diuina, & cælestia de sacris nostris mentes, ad caduca, & terrena reuocabimus, specie panis in conspectu[m] exhibita, quæ uerum corpus Christi contineri, ut nos quidem scienter credamus, efficit diuina institutio, gratiaque in qua
nati

nati sumus. Quibus illi orbat, quum res per se fidē non faciat, restat ut nos irrideat, veluti minimè possibilis credamus. Nolite per Deum committere, ut aboleatur sacer ille horror, quo ipsorum animi perstringuntur in bello, quum secum reputant inuituros se praelium contra nos, quibus adeo propitius sit Deus, ut propemodum videndus nobis coram pariter inter nos versetur. Quantum de nostris deque religionis nostrae maiestate hoc factum minuetur, tantum crescet apud illos audacia, credituros subinde, ut ipsis quidem videbatur, ex specie, quam intuebuntur, nos non modo in veri Dei tuitione non esse, sed nec in alterius cuiuspiam. Multis modis stabilitati conuentorum cauere potest (quamuis cum fidei pignus, regium verbum satis esse deberet) aliaeque inter priuatos cautiones, aliae inter principes exhibentur. Ad extremum, relicturum se prophanata castra assererat, si eo modo rex iurare pergeret. Itaque quum videretur tam vere, quā è religionis, è que ipsorum, quos illoquebatur usu, & maiestate dixisse: constitutum est, in confirmanda pace ut quisque proferret in medium sacram historiam suam

L S quod

quod Euangelium nostri, Alcoranum illi
 vocant: quibus ubi sua quisque dextram
 admouit, religiosè iuratum est, conuentus
 seruatairi & sancta, atque inuiolata per-
 mansura. Conferte hunc militem cum no-
 stris huius seculi, si dijs placet, gloriosis mi-
 litibus, qui hoc tale sacramentum pedibus
 calcare ac bestijs obijcere nõ veretur, pro
 scelus, digna posteritas genere Acacida-
 rum: Verum hæc hæctenus.

Neque solum antiquitus hoc adoraba-
 tur Sacramentum, sed omnes item grati-
 arum actiones immortalī Deo pro eius om-
 nibus beneficijs ad huius sacramenti ob-
 lationem, tanquam primi & summi bene-
 ficij habebantur. Itaque antequam in om-
 nibus Ecclesijs cõsecratur atque offertur,
 primum populus ad gratiarum actionem
 prouocatur: Gratias, inquit, agamus do-
 mino Deo nostro &c. Fiebantque antiqui-
 tus gratiarum actiones pro omnibus be-
 neficijs, quæ Deus contulerat hominibus
 ab iusto Abel vsque ad hanc diem, ut qui-
 dem ex Liturgia D. Clementis, Iacobi, &
 aliorum patet. Memoriam enim fecit in
 hoc sacramento Deus omnium mirabiliũ
 suorum, quæ à seculo operatus est, hoc, in-
 quit,

quit, facietis in mei recordationem, hoc est meorum erga vos beneficiorum memoriam sempiternam. Indeque hoc sacramentum Eucharistiae nomine, hoc est gratiarum actionis insignitum est, cuius rationem exponit Magnus ille Cabasila. In expositioe liturg. ca. 25

Et hoc sciens beatus Paulus iussit pro omnibus gratias agere, scribens: Semper gaudete, in omnibus gratias agite. Hac de causa perfectissimam & exactissimam nostram cum Deo collocationem, mysterij communionis celebrationem, in quo mentionem facimus, non huius vel illius gratiae: sed omnium, vt semel dicam, Dei bonorum, & quæ actu nobis sunt & futura sunt, Eucharistiam, hoc est, gratiarum actionem, nominare erat cōsentaneum, non ex ijs, quæ in miseria versantes, & eam implorantes rogamus: sed ex ijs quæ Deus in nos confert beneficijs: nec ex nostra paupertate, sed ex diuitijs illius benignitatis. Quia enim in ea Deo supplicam⁹, & gratias agimus; sed gratiarum quidem actio, Dei opus est, vt dictum est supplicatio verò humanæ imbecillitatis.

tatis; & gratiarum quidem actio propter plura; supplicatio verò pro paucioribus. Illa enim propter omnia, vt semel dicam, bona; hæc verò in nonnullis: propterea oportebat ex melioribus & pluribus ei nomine imposto, appellare Eucharistiam. Ita enim etiam homo dicitur animal ratione præditum, licet sit alicuius particeps quod caret ratione, vt qui à meliori & maiori parte vocetur. Et maxime quia primus qui id ostendit, Dominus noster Iesus Christus, non supplicans, sed solum patri agens gratias, hoc mysterium porrexit & tradidit; & ea de causa; quod illud esse accepit, hoc vocat, Eucharistiam nominans. *Et hæc quidem hæctenus.*

Neque gratiarum tantum actiones præsentem hoc sacramento fiebant, sed & omnis gratia omnium rerum necessariarum impetrationes etiam ab angelis instituebantur. Narrat hæc Chrysostomus: Tempore illo mi frater charissime, non solum homines clamorem illum horribilem reddunt, sed etiam Angeli Domino genua flectunt, & archangeliro-

Hom. 3 de in
cõprehensi-
bili Dei natu-
ra contra A-
nomæos.

li rogant, habent sibi tempus id idoneum, habent sacram illam oblationem in fauore. Itaque vt homines ramos olearum gerentes mouere reges consueuerunt: eoque arboris genere misericordiam commemorât & humanitatem; sic Angeli tunc pro ramis oleaginis corpus Domini ipsum protendentes, rogant pro genere humano, quasi dicant; Pro his domine rogamus, quos tu aded dilexisti, vt pro eorum salute mortem obires, animam in cruce efflares; pro his supplicamus, pro quibus ipse tuum largitus es sanguinem: pro his oramus, pro quibus corpus hoc immolasti. Agitatos quoque ob eam rem diaconus tempore illo adducit, & iubet caput inclinare, cum eos vna cum fratribus orare non liceat; adducit eos, vt tu miseratus, & quia tam acerbè vexantur, & quia vocem reddere nequeunt, tua facultate ad eorum vtaris defensionem & auxilium.

Idem Chrysostomus: Gratiam reddâ, si vos docuero, quamobrem illa præceteris oratio solet fieri, & cur homi-
Hom. 4. contra eosdem Anomæos.

nes dæmone agitados, & furore acci-
 tos teterrimo adduci tempore illo,
 & capita inclinare iubet diaconus.
 Quæ de causa igitur agitur ita dicam.
 Vincula per quàm praua & graui a-
 gitatio dæmonum est: vincula enim
 ferro validiora. Vt itaque tempore
 instante, quo iudex prodire, & pro
 tribunali sedere solitus est; custodes
 carceris homines quos in vinculis te-
 nent, omnes carcere educunt & pro
 cancello septisq; fori collocant squa-
 lentes, sordentes, coma expletos ni-
 mia, * vt cum breui Christum velut
 pro tribunali sedere, in ipsisque sacra-
 mentis apparere futurum esset; ho-
 mines dæmone agitati illi tanquam
 vinculis quibusdam rerenti adduce-
 rentur; non vt rerum quas commi-
 sissent, ex amea subirent modo eorū
 qui in vinculis sunt, nec vt luerent
 pœnas, & supplicio afficerentur: sed
 vt populo vniuersaque ciuitate præ-
 sente, communes pro his fierent sup-
 plicationes, vt omnes iugi concor-
 dia Dominum communem orarent
 pro his, & quod miseretur, ma-
 gno

*pannis miser-
 rimè obdu-
 ctos sic patres
 statuerunt.*

gno clamore contenderent.

Testatur Nazianzenus hoc idem: Ac
gro erat corpore (soror videlicet) pes-
simeque affecto, ac morbus insolens
erat & prodigiosus. &c. Desperatis a-
liorum omnium auxilijs ad mortā-
lium omnium Medicum confugit,
noctisque intempesta caligine obser-
uata, cum leuius aliquanto morbus
vrgeret, ad Altare cum fide procum-
bit, eumque qui super illud colitur,
cum magno clamore obtestans, om-
nibusque nominibus appellans, atque
omnium rerum, quas vnquam miri-
fice gesserat, commonefaciens (nam
vtriusque testamenti historias calle-
bat) tandem pia & præclara quadam
impudentia effertur. Eam quæ Chri-
sti fimbria sanguinis profluuium cō-
prefferat, imitatur. Quidque fecerit,
audite. Caput cum pari clamore v-
berrimisque lachrymis (mulierculæ
illius instar, quæ olim Christi pedes
irrigârat) altari admouens nec se an-
te ob eo discessuram minitans, quàm
sanitatem consecuta sit, ac deinde
hoc suo pharmaco totum corpus
per-

Greg. Nazian-
zenus oratione
in laudē soror-
is suæ Gero-
gonie.

perungens, ac sic vbi quidpiam iugno
 rum preciosi corporis, aut sanguinis
 manus condiderat, id lachrymis ad-
 miscens (ô rem admirandam) profi-
 nus liberatam se morbo sentit, atque
 & corpore & animo & mente leuis
 abscedit, hanc spei mercedem conse-
 cuta, vt quod sperauerat obtineret,
 animæque firmitate corpori firmi-
 tatem compararet. Bernardus comitem
 sola presentatione sacramenti vicit atque
 stravit, & cetera innumerabilia talia in
 dies his qui rectam fidem habent eueniunt,
 In huius enim Christi nomine, qui in hoc
 est altari, omnia à patre impetrari ipse fi-
 lius docet. Quidquid petieritis patrem in
 nomine meo, dabit vobis. Quæcumque
 sint iam supradicta scandala, conuicia,
 accusationes vel sua spontè ruunt. Negat
 Calvinus adorandum esse hoc sacramen-
 tum. Primum quod hinc absit presentia
 Christi. Deinde, si adsit, tamen hanc cum
 diuinitate coniunctam esse, nobis non con-
 stare. Negat Calvinus: Aut Christus do-
minus: tu vide, seruo ne potius credas, an
hero: In quo videre est miras diaboli artes,
miram inconstantiam, qui quanquam
 callidus

callidus sit artifex, nec tamen sibi cohaeret. Dum Calvinus vult negare praesentiam corporis Christi, dicit, quia caro non prodest quidquam: verba qua dixi, spiritus et vita sunt. Dum deinde vult negare adorationem, carnem comendat, Deum et spiritum negat, sic falsum nunquam sibi cohaeret. Figura inquit est, non res ipsa dicit Calvinus, negat Christus: non sicut patres vestri manducauerunt manna in deserto & mortui sunt: qui manducat panem hunc, viuet in aeternum. Patres, inquit, vestri manducauerunt figuras & mortui sunt, haec, inquit, est veritas, & ideo qui manducat me, viuet propter me. Periculum esse dicebat Lutherus atque Melancthon, ne simul panis vel saltem eius accidentia adorentur. Nihil nunc dico de istorum impanatione, neque enim res praesentis est negocij, & veritas dicit: hic est panis qui de caelo descendit, non de terra. Illud quaero, cur non item timeant, quando Christum super omnes caelos constitutum (si qui dem hoc aliquando faciunt) subleuatis oculis adorant, ne simul caelos caelorumque orbes adorent: Aut quomodo Moyses non timebat, ne rubum simul ardentem a-

cur na h
 nicho d. g
 vo. celu

 Moyses
 in rubo

M dora

doraret: aut Ioannes ne uterum matris
aut emorroyssa, ne vestimenta que tange-
bat. Nam & hæc accidentia panis & vini
nihil aliud sunt, quam inuolura quedam
& vestimenta latentis Iesu Christi: Effu-
gia igitur hæc sunt non argumenta. Ex-
tra, inquit, usum sacramentum non est,
quis hoc dicit? Lutherus fortasse, aut Phi-
lippus? quis alius? nemo. quæ scriptura sibi
fuit? nulla. quo ex antiquis autore? nemi-
ne. quod ergo verbo affirmatur, verbo re-
ijcitur. At qui contrarium dicit, una san-
cta Catholica & Apostolica Ecclesia, quæ
est columna & firmamentum veritatis.
Ut enim apud Israeliticum illum populum
tam in deserto, quam in ipso Salomonis
tēplo, habitabat gloria domini super Che-
rubin, quæ precedebat & deducebat popu-
lum illum, unde cum eleuabatur arca, can-
tabat populus: Surge domine & dispen-
tur inimici tui, & fugiant qui oderunt te
à facie tua: Cum autem deponeretur ca-
nebat, reuertiere ad multitudinem exer-
citus Israel: ita nunc in hac peregrinatio-
ne nostra gloria Iesu Christi, atque a deo
ipse Iesus Christus, in hac arca templi ro-
biscum perenniter cōmorari putandus est.
verbum

Nem. 10.

Verbum enim eius manet in aeternum, u-
 sus momentaneus est. *Alia dicunt Sacra-*
menta non adorantur: quia dominum sa-
cramentorum non continent, sed solam ei-
us gratiam praeserunt. Praeclare siquidem
magnus ille in diuinis Dionysius hoc sacra-
mentum triplici ex parte alia sacramenta su-
perare docuit, vel quod in illo ipse Christus
contineatur, commune bonum totius Ec-
clesiae, in alijs autem virtus quaedam par-
ticipata ab ipso Christo domino: vel quod
alia omnia comparata sunt, ad illud tan-
quam suum finem: vel quod omnia in illo
consumantur: indeque finis & consumma-
tio omnium sacramentorum ab eodem di-
citur. Sed isti rerum modos & differen-
tias non norunt. Manducatione est colen-
dum, non veneratione aiunt: Hoc oportet
facere, illud non praetermittere: dice-
bat in simili causa Christus dominus: imo
ipse Deum hominesque testor, non melius
nec efficacius coli, quam usu & frequenti
communione: In quo equidem summe re-
prehendenda est nostra, vel ignavia vel
ingratitude. Adeo dominum nostrum non
obseruamus, adeo illi non seruimus, ut
ne ad mensam quidem eius sponte ve-

nire velimus, nisi pœnis & excommuni-
 cationibus adacti: o supinam negligentiam,
 ô animam beneficij tanti immemorem:
 Non, inquit, eo fine est in sacramento,
 ut colatur, sed ut manducetur: neque eo fi-
 ne aut instituto fuit in utero, in præsepio,
 in naui, ut honoraretur, tamen cultus est:
At nonnunquam in fœdis & fœtulentis,
 tam locis quam animantibus reperitur,
 vestro vicio & impietate, Deo vero nihil
 fœdum, nihil fœtulentum est, præter ven-
 trem peccatoris, & tuum istud os impudēs.
Sursum inquit corda tenenda, quis dubi-
 tat, idem enim Christus qui sursum est, hic
 colitur: Nusquam inquit scriptum, nus-
 quam imperatum est, ut colatur. Impera-
 tum vero: Dominum Deum tuum adora-
 bis, & illi soli serues. Sed neque Apосто-
 lis imperatum fuit, ut ascendentes in cæ-
 los adoratione prosequerentur: neque pa-
 storibus ut in præsepio: non Magis, ut in
 curiis illum venerarentur. Sed isti more
 ignavorum seruorum, ex præscripto Deo
 seruire volunt. Obstructum est igitur os
 loquentium iniqua, blasphemia contra do-
 mum Dei sublata, pudor & fides unica
 sponsæ Iesu Christi vindicatus, ac ille cul-

tus, qui idololatria esse putabatur, vera
 Christiatria, atque adeo theoseuia esse
 est demonstrata: istorum autem malicia,
 improbitas, calumnia, ac mera erga Chri-
 stum, & eius sponsam impietas conuicta
 & retrusa, qui non tantum ipsi hoc sacra-
 mentum non adorant, sed etiam alios qui
 hoc agunt grauissimis conuicijs incessunt:
 parum est hoc, sed ultra fœdissimis male-
 dictis tantum mysteriũ proscindunt. Ne-
 que hic consistunt, sed ex altaribus, quæ
 antiquitas Sancta sanctorum Cathedrã
 Christi: Thronum Dei, Requiem, Propitia-
 tionem, Magni sacrificij officinas, Chri-
 sti monumenta, eius gloriæ tabernacula
 appellare solebant: effrangi & incoercibili
 audacia deijciunt, pedibus nefandis con-
 culcant, canibus etiam porrigunt: ô tem-
 pora, ô mores? aspiciasne hæc æquis oculis,
 Iesu Christe, & si aspicias, cur non vindi-
 cas? an benignitate & longanimitate tua
 eos ad pœnitentiam prouocas? an iam am-
 plius illos, qui extremus furor tuus est, quæ
 summa pœna, hic illos punire non vis? Tuæ
 enim illæ sunt voces: In quo amplius per-
 cutiam vos, item amplius non percutiam
 vos. Et non visitabo, inquit, super filias ose 4.
M 3 vestras,

vestras, cū fuerint fornicatæ et super nura
 vestras cum adulterauerint? Nam quo-
 rum aliquādo misereri vis, de his illud di-
 cis, visitabo in virga filios eorum, verum-
 tamen misericordiam meam non auferā
 ab eis. An indignos miraculo putas, ne
 forte conuertantur & uiuant? An præ-
 stolaris, ut compleatur mensura malicia
 eorum? An illud expectas, dum hic Rex
 Stephanus alijque Christiani Principes
 tuam aliquando, ex istis vindicent iniu-
 riam? Verum quæ tandem causa est, cur
 tantum, tantoque opere eam adorationem
 impugnat diabolus? an ut Christi cultus
 sublato, ipse in aliquo visibili idolo colatur
 homo enim aliquare visibili, in qua occu-
 petur opus habet. Deinde quod facile vi-
 det, quod quamdiu publicè Christus in hoc
 sacramento colitur, tamdiu veritas cor-
 poris & sanguinis Christi contra omnes
 hæreticos vindicatur, neque alio modo hæc
 res efficacius asseri, & demonstrari, ac
 quasi oculis subijci potest. Vnde isti ubi pri-
 mum eam adorationem sustulerunt, sta-
 tim eodem tempore veritatem ipsam cor-
 poris et sanguinis amiserunt. Deinde quod
 animaduertat, quam diu hoc sacramen-
 tum adoramus, tamdiu contra omnes hæ-

reticos Christum dominum verum Deum
 & hominem confitemur, tandem hanc ip-
 sam confessionem extinguere non posse: Ut
 cum dixerint nobis filij nostri, quæ est ista
 religio, cur hic panis circumfertur, cur ado-
 ratur? Respondeamus illis. Corpus & san-
 guis Iesu Christi verus hic est, hic autem
 Iesus Christus verus Deus & homo fuit,
 ita ut nunquam pereat eius rei memoria
 de ore hominum. Unde isti exclusa sacra-
 menti adoratione Dei & hominis, confes-
 sionem excluderunt. Videt denique diabo-
 lus in hoc beneficio omnia Christi adorari
 beneficia, quorum memoriam ille extin-
 guere peritisque abolere nititur. Mag-
 na igitur hæc sunt arcana, magna myste-
 ria, sed homo animalis non intelligit ea
 quæ sunt spiritus. Non ipsum autem solū
 diuina Eucharistia sacramentum in eo ho-
 more quo dictum est habebatur, sed vasa
 etiam ipsa sacra, atque altaria, pro sanctif-
 simis colebatur, atque instar reliquiarum
 honorabatur. Patet hoc ex Constitutioni-
 bus Apostolicis, patet ex infinitis locis D.
 Chrysostomi, patet ex Optato: Cuius illa
 pulcherrima verba sunt: Quid, inquit,
 tam sacrilegum (reprehendens Do-

Hom. 36. in
 priorem Epi-
 stolā ad Cor.

Hom. 20. in natistas) quam Dei altaria, in quibus
 posteriorem. & vos aliquando obtulistis, frangere,
 Hom. 24. ad radere, remouere, in quibus & vota
 & phes. populi, & Christi membra deportata
 Hom. 53. & 65. ad Popu- lunt?

Qua autem mensura, & quis modus
 in Amioch- laudis & adorationis huius mysterij esse
 Et optatus lib 6. contra Parmenianū debeat, praclare docet Magnus huius sa-
 cramenti amator & assertor D. Thomas, cuius ego ingenium, iudicium, eruditionē
 vita sanctitatem, omnium nouatorum
 qui sunt, fuerunt, nascenturque ex illis in-
 genijs, iudicio, eruditione, vita denique in-
 tegritate libenter antepono.

Quantum potes, inquit, tantum
 aude, quia maior omni laude, nec
 laudare sufficit.

Sit laus plena, sit sonora, sit iucū-
 da, sit decora, mentis iubilatio. &c.

Modum vero & rationem eius cultus
 & adorationis habent suum Ecclesie ori-
 entales, habent & occidentales: occiden-
 tales illū amplexa sunt, qui & sacra scri-
 tura vicinior, & Christo in eius vita fuit
 charissimus, & pro quo ipse aliquando
 mirum in modum contra inuidos scribas
 & Phariseos pugnavit: eum scilicet, quem
 in die

in die Palmarā pueri Hebræorum illi magnificè præstiterunt. Præcedebat ibi turba, & sequebatur aduenientem Dominū: præcedit & sequitur, hic, vestimenta sua sternerbat in via: sternit & nunc: ramos de arboribus in occursum eius projiciebat: projicit & nunc: flores fundebat, fundit & nunc. Adde Davidicam Cytharam, Tympanū & chorum, ut omnis spiritus laudet dominum. Adde & Maria Magdalena unguenta & suffitus preciosos. Lampades item ardentes cum prudentibus virginibus quæ obuiam prodierunt sponso & sponsæ. Non sunt hæc, inquit, præcepta à domino: ne pueris quidem illis tum præcepta fuerunt, quin quanto magis ne id facerent arcebantur, tanto magis effuse & alacriter id faciebant: Verum de cultu & adoratione huius sacramenti ita ut proposueramus hæctenus.

Quo in loco duo genera hominum priusquam causam totam concludo, sunt mihi serio commonenda. Primum istud modernorum religionis Christianæ deformatorum, aut potius eversorum, ut secum diligenter etiam atque etiam cogitent, quid agant, ubi locorum sint, quo tendant. Il-

Neb. 10.

ludque in primis Pauli attentius secū perpendant. Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus moritur, quanto magis illum pietatis mereri supplicia, qui filium Dei conculauerit, & sanguinē testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratia contumeliam fecerit? Quomodo enim illi Christum clarè non conculant, quomodo sanguinem testamenti non pollutum ducunt, dum tantum sacramentum tot blasphemijs proscindunt, dum toties ex altaribus deiciunt, dum aras sacras euertunt, atque confringunt. Deinde expendant & illud diligenter Salomonis.

Prover. 19.

idem. 29.

Ibidem 2.

Qui affligit patrem & fugit matrem, ignominiosus est & infelix. Oculum qui subsannat patrē, & qui despicit partum matris suae, effodient eum corui de torrentibus, & comedent eum filij aquila. Qui maledicit patri suo & matri, extinguetur eius lucerna, in medijs tenebris. Isti verò non solum matrem suam, sponsam autem Christi affligunt, non solum fugiūt illiq; subsannāt, atque eam despiciunt, sed etiā quod improborum est filiorum, pudorem eius in dubium vocant spiritualem, forni-

cari. a. 70

cariam atq; adulterā denominant. Quod si illa adultera, qui tādē illi filij, nam ex illa senatos esse negare non possunt? Noli, inquit, gloriari in ignominia patris tui, neque enim tibi tam gloria quam probrū est, & si sensum amiserit veniam habe. Ideo ignominiosi sunt, ideo corui spirituales depascunt illos, ideo extinctum est lumen veritatis lucerna illorum. Postremò illud secum reputent, graue & inhumanū esse malum calumnia in honesta femina, pudoris & honestatis praesertim, tamque ipsi quàm eius sponso, triste & peracerbū: & quod Deus acer absconditorum inspector vehementer vindicare solet. Apparuit hoc in Susanna honestissima femina, cuius illa sunt plena acerbitatis voces: Deus aeternae, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant, tu scis quoniam falsum testimonium tulerunt contra me: & ecce morior, cum nihil horum fecerim, quae isti maliciōse composuerunt aduersum me. Exaudiuit autem dominus vocem eius: & saluatus est sanguis innoxius in die illa. Quod si Deus Susanna calumniam tantopere in perditis illis scribis vindicabit, quanto magis

Eccles. 32

Daniel. 13

CONTIN.

contumeliam sponsæ filij sui, matris quondam istorum Ecclesiæ suæ propterea vindicabit, cuius quidem plaga ac vindicta iam magna in illis extant indicia. Vt enim impudici & scelerati illi senes nusquam sibi coherere, nusquam secum conuenire in exitium innocentis illius fœmina potuerunt: ita isti nunquam aut inter se, aut ipsi secum concordēs esse possunt.

Secundum genus hominum est, nostri parum morati catholici, qui in eo turpius delinquant: quod cum certo sciant, sibi que persuadeant, in hoc sacramento verum Deum & hominem contineri: veniunt tamen in conspectum eius, mente & animo polluti, corpore fœdi, oculo impudenti, ore ebrio, lingua loquaci, ventre ructante, gestu insolenti, incessu tumido, & præfracto, veste scurrili & impudica, somipedes, cum cohortibus, fustibus, gladijs, & armis, ut quondam Iudæi ad capiendum eundem Christum venisse leguntur. Canibus, accipitribus, scurris denique & histrionibus, comitati: ac demum quasi in salutato hospite, terga vel latera contra Deum suum obuertunt, ac varijs clamoribus & insolentijs complent omnia. Quod si hæc in laicis

cis ferenda non sunt: quanto in templi & eius sacramentorum ministris, in sacerdotibus, inquā, minus ferēda erūt? Quā aut id præclare faciant, audiāt Chrysoſtomū:

Cæterum, vt his tunc succensui, qui orationem huiusmodi negligenter, forisque tempore eo versarentur; sic in præsentiarum his qui intus circumstant, succensendum vtrique reor, nō quia intus manent, sed quod cum eo quo debent, maneat loco, nihilo melius afficiuntur, quàm qui foris euagantur. Disputant enim inter sese, & aut iocantur, aut negocia tractant tempore illo perhorrendo. *Et paulò post:* Haud illa Diaconi exhortatio reſti constantisquę frustra & sine causa instituta sancitaque est; sed vt nostras repētes humi cogitationes erigerem⁹ &c. Cogita apud quem proximè stas, quibus cum inuoces Deum, scilicet cum Cherubin, cum Seraphin, cum omnibus cœli virtutibus: animadverte quos habeas socios: satis hoc tibi sit ad sobrietatem, cū recordaris te corpore constantem, & carne coagmentatum, admitti cum virtutibus

Hom. 4. c. 2.
tra Anom. 05.

tibus in corporeis commendare omnium Dominum. *Hec Chrysostomus: Non fuit ea irreuerentia antiquitus: nã neque infideles, neque catechumeni, neque aliquo lethali peccato cõtaminati huc admitterebantur, ideoque quando proferrì debebat, illi qui tales erant foras excludebantur, illudque à diacono magna voce pronũciabatur: Sancta Sanctis. De eius autem sacri arcani mysterijs, nemo nisi sacer, mystes atque sacerdos, aut dicere aut docere quicquam poterat: dumque tam honorifice tractabatur, tum et dona admiranda, curationum, inquam, linguarum, prophetia, aliãque plurima hoës illi inde prolixè referebant, & consolationibus nouis perfundebantur? Nunc ijdem eximus de tẽplo, qui ingredimur, & utinam idem & non deteriores.*

Cogitate igitur vos nunc in conspectu eius consistere, ante cuius tribunal aliquãdo stabitis, omnium dictorum & factorum vestrorum, & eius ipsius cultus & reuerentia rationem reddituri, & à quo vel eternam salutem vel damnationem expectatis. Aspergite cinere capita vestra, &

adorate scabellum pedum eius, quoniā sanctum est.

Tu quoque Magnanime Rex, accipe lucernam; testem castæ & intemeratæ fidei tuæ, ac cum ista innata tibi modestia & mansuetudine, quæ te magis, quàm aut hæ ipsæ gemmæ, aut hæc purpura exornat. Christo tuo qui te vnxit, participem quæ Regni & imperij sui fecit; prodi obuiam, seque re seruus Dominum, subditus Regē, creatura creatorem tuum. Ridebit te credo filius Belial: risit & Michol Dauidem ante arcam saltantem: at magnifice Dauid eum risum contēpluit.

Viuuit Dominus, quia ludam ante ^{2. Reg. 6.} Dominum, qui elegit me potius quàm patrem tuum, & quam omnem domum eius; & præcepit mihi, vt essem dux super omnem populum Domini in Israel, & ludam & vilior fiam, plusquam factus sum, & ero humilis in oculis meis, & cum ancillis de quibus locuta es.

Eundem sensum tu accipe, quanto enim vilior & humilior in oculis tuis

tuis fueris; tanto maior & admirabili-
 or apud Deum & mortales omnes
 apparebis. Tu verò bone pastor, pa-
 nis vere, Iesu nostri miserere; tu nos
 pasce, nos tuere, tu nos bona fac vi-
 dere in terra viuentium. Amen.

*Oretur Deus pro agro capitè
 Authoris.*

STANISLAI SOCO-
LOVII, DE CAUSIS SVPRE-
MI EXCIDII HIEROSO-
LYMITANI,

Concio.

*Videns IESVS civitatem, fleuit super
illā, dicens: si cognouisses, & tu.*

Luca XIX.



Civitatem superbam
humiliabit: humili- *Isaie 26.*
liabit eā vsq; ad ter-
ram, detrahet eam
vsque ad puluerē;
conculcabit eā pes,
pedes pauperis gres-

sus egenorum, vt non sit amplius ci-
uitas, & in sempiternum non ædifi-
cetur.

*Eiusdem civitatis supremum exitium,
ultimamque cladem, multo ante his ver-
bis prædixit Isaias: cuius nunc acerbissi-
mum casum, lethaléque vulnus, ipse deplo-
rat sponsus & heres: Si, inquit, cogno-
uisses,*

uisses, & tu, & quidem in hac die, quæ
 ad pacem sunt tibi : nunc autem ab-
 condita ab oculis tuis. *Nec deplorat
 tantum, verum etiam omnis istius humi-
 liationis ac deiectionis, ob oculos rationem
 ponit & modum.* Venient, inquit, dies, &
 circumdabunt te inimici tui vallo, &
 coangustabunt te vndique, & ad ter-
 ram prosternent te, & filios tuos qui
 in te sunt; & nō relinquent in te lapi-
 dem super lapidem; eo, quod non co-
 gnoueris tempus visitationis tuæ. *Vt
 illud simul eiusdem Isaie compleatur: Po-
 suisti ciuitatem in tumulum, vrbem
 fortem in ruinam, domum alieno-
 rum: vt non sit amplius ciuitas: Cu-
 ius tam tristis & miserabilis cladis, cum
 superiore anno summam & rationem om-
 nem vobis exposuerim: nunc, quæ, & quan-
 ta, hæc fuerit ciuitas, & quas ob causas ex-
 tremo vulnere percussa, ex tam alto dig-
 nitatis culmine deciderit: demonstrandū
 duxi, vt discant Regna, Resque pub. Chri-
 stiana, non magis opibus & viribus, ma-
 gnitudinique suæ: quàm æterni parentis
 auxilijs, benignoque favori confidere:
 simulque illud perspiciant, quæ causæ salu-
 tis &*

Isaie 25.

que et quanta
 Et ob quas
 cas accidit.

tis & incolumitatis, qua item interitus & exitij earum sint. Cui argumēto tam graui & pernecessario, quo pares aliqua ex parte esse possimus, operam diuini numinis imploremus.

Hierosolima urbis, de qua nobis praesens dicendi institutum est: vel conditoribus & antiquitate ipsa: vel amplitudine & dignitate: vel opibus & facultatibus: viribus item & munitioibus, princeps gloria, ante alias omnes vrbes semper fuit: ac quasi ipsi immortalitati comparata. Chanaanai hanc multis annis, ante Aegyptiacam seruitutem, datamque legem, maximis opibus, summisque praesidijs condiderunt. In eo loco, inquit Hieronymus ubi & habitasse, & mortuus esse, Adam dicitur: ut secundi Adam, id est Christi, sanguis de cruce stillans, primi Adā iacētis peccata dilueret. *Primus* urbis fūdatum Melchisedech fuit, Rex & Sacerdos Dei sanctissimus: primusque & Regni, & Sacerdotij, venturi Messiae adumbrator amplissimus: dum in typo Christi, panem & vinum obtulit, & mysterium Christianum in saluatoris sanguine &

Epist. 17.

N 2 corpore

Psal. 86.

corpore dedicauit. Cui Abraham victis et profligatis quinq, Regibus, ex omni illa uberrima prada, honoris & religionis causa, decimam detulit partem. Magnus quidem hic urbis conditor, sed longe maiorem celebrat David. Fundamenta, inquit, eius in montibus sanctis; diligit Dominus portas Sion, super omnia tabernacula Iacob. Nunquid Sion dicet homo, & homo natus est in ea? & ipse fundauit eam altissimus. Et in alio loco: Deus fundauit eam in æternum.

Psal. 47.

Hinc orta diobus totis millibus annorum, centum & septuaginta septem annis, magna laude, summo splendore, maxima omnium gentium admiratione, princeps Imperij Israelitici stetit. Sedem hic & domicilium nominis sancti sui, Regni item, omniumque promissionum suarum, fixerat Deus ipse. Domum Regis adificari, arcam fœderis collocari, templum sacratissimum ac famosissimum extrui, in eo loco voluit: cum quo sacra, cæremonias, sacrificia, omnemque cultum suum ita coniunxerat: ut hæc nusquam alias, quàm in eo loco administrari voluerit. Illuc ascenderunt, inquit David, tribus, tribus Domini, testimo-

Psal. 121.

stimo-

Simonium Israel ad confitendum
 nomini Domini. *Ex eo templo, tanquã
 de summo cœlo, omnibus gentibus & nati-
 onibus, opem & præsens auxilium se latu-
 rum pollicebatur, quicumque modo eo sup-
 plex tempore suo necessario confugisset.*
*Huc igitur Reges, huc Principes, huc Im-
 peratorum quique maximi, preces, vota-
 que deferebant sua: Cyrus, Darius, Ale-
 xander Macedo, Ptolomæus, Seleucus,
 Pompeius, ceterique quàm plurimi, ut il-
 lud Dauidicum planè impleretur: Deus
 in domibus eius cognoscetur, cum
 suscipiet eum. Quoniam ecce Reges
 terræ congregati sunt, conuenerunt
 in vnum; Illudque pleni admiratione fa-
 teri coacti sunt: Sicut audiuius, sic
 vidimus in ciuitate domini virtutū,
 in ciuitate Dei nostri; Deus fundauit
 eam in æternum. Suscepimus Deus
 misericordiam tuam, in medio tem-
 pli tui. Illic item sederunt sedes in iu-
 dicio, sedes super domū Dauid. Subli-
 mis tum fuit illius urbis gloria, magna
 maiestas, *sed multò maiorem sub Rege
 Messia futuram fuisse prædixerat Hie-
 remias. Ingradientur, inquit, per por-**

Jer. 17. 22. tas ciuitatis huius Reges & Principes, sedentes super solium David, & ascendentes in curribus & equis, ipsi & principes eorum, viri Iuda & habitatores Ierusalem: & habitabitur ciuitas hæc in sempiternum. Et venient de ciuitatibus Iuda, & de circuitu Ierusalem, & de terra Benjamin, & de campestribus, & de montosis, & ab austro, portantes holocaustum, & victimas, & sacrificium, & thus, & inferent oblationem in domum Domini. *Quæ omnia prolixissimè completa fuissent, nisi tantis promissis, tantæq; Dei munificentia, incredibilis illius populi malicia & improbitas obstitisset. Merito igitur eam tantis laudibus, tantis elogijs ornat diuinus vates.* Elegit, inquit, Dominus Sion, elegit eam in habitationē sibi. Hæc requies mea in seculum seculi, hic habitabo quoniam elegi eam. Viduam eius benedicens benedicam, pauperes eius saturabo panibus. Illuc producam cornu David, parauero lucernam Christo meo. Inimicos eius induam confusione, super ipsum autem effloreat sanctificatio

Psal. 131.

ficatio mea. *Meritò pro eius salute ea
concepit vota: Rogate quæ ad pacem
sunt Hierusalem; & abundantia dili-
gentibus eum. Fiat pax in virtute eius
& abundantia in turribus illius. Cum-
que Deus offensus placari debebat per tem-
plum, per eam civitatem exorari voluit.
Magna igitur dignitas, magna ampli-
tudo eius urbis: sed & opes & divitiæ ma-
xima. Tempora, & opes Salomonis, sic de-
scribit liber III. Regum: Erat autem pō
dus auri, quod offerebatur Salomo-
ni per annos singulos; sexcentorum
sexaginta sex talentorum auri, excep-
to eo, quod offerebant viri qui super
vectigalia erant; & negociatores, vni-
uersique scuta vendentes; & omnes
Reges Arabiæ, Ducesque terræ. Fecit
quoque Rex Salomon ducenta scuta
de auro purissimo (sexcentos auri si-
clos dedit in laminas scuti vnus) &
trecentas peltas ex auro probato; Tre-
centæque minæ auri, vnam peltam
vestiebant. Posuitque eas Rex in do-
mo saltus Libani. Fecit etiam Rex Sa-
lomon thronum de ebore grandem,
& vestiuit eum auro fuluo nimis; qui*

Reg. lib. 3.
cap. 10.

N 4 habe-

habebat sex gradus; & summitas throni rotunda erat in parte posteriori; & duæ manus hinc atque inde tenentes sedile: & duo leones stabant iuxta manus singulas, & duodecim leunculi stantes super sex gradus hinc atque inde. Non est factum tale opus in vniuersis regnis. Sed & omnia vasa, de quibus potabat Rex Salomon, erant aurea; & vniuersa suppellex domus saltus Libani, de auro purissimo. Non erat argentum, nec alicuius precij purabatur, in diebus Salomonis: quia classis Regis per mare cum classe Hiram semel per tres annos ibat in Tharsis, deferens inde aurum & argentum, & dentes elephantorū, & simias, & pauos. Magnificatus est ergo Rex Salomon, super omnes Reges terræ, diuitijs & sapientia; & vniuersa terra desiderabat vultum Salomonis, vt audiret sapientiam eius, quam dederat Deus in corde eius. Et singuli deferebant ei munera, vasa argentea & aurea, vestes, & arma bellica; aromata quoque, & equos, & mulos, per annos singulos. Congregauitque

uitque Salomon currus & equites; & facti sunt ei mille quadringenti currus, & duodecim millia equitum; & disposuit eos per ciuitates munitas, & cum Rege in Hierusalem. Fecitque vt tanta esset abundantia argenti in Hierusalem, quanta & lapidum: & cedrorum præbuit multitudinē quasi sycomoros, quæ nascuntur in campstribus. Et educebantur equi Salomoni de Aegypto, & de Coa. Negotiatores enim Regis emebāt de Coa, & statuto precio perducebant. Egrediebatur autem quadriga ex Aegypto, sexcentis siclis argenti, & equus centum quinquaginta. Atque in hūc modum cuncti Reges Hethæorum, & Syriæ, equos venundabant.

Hactenus Scriptura. Magnum hoc fuit vectigal, magnæ opes, & Regis, & urbis, quæ tamen post ipso tempore in immensum plane creuerant: nam & reliqui Reges, & ad opes, & ad ornamenta urbis, plurimū addiderunt. Ibi que probatum est, quantum momenti ad omnia incrementa rerū & facultatum, æterni parentis fauor ac beneuolentia adferat. Bono igitur animo

fit Rex meus, cum filium pastoris timentis Deum, ad eam opum & facultatum magnitudinem peruenisse videt. Modò & ipse Deum timeat, in omnibus mādatis & iustificationibus eius sine querela incedat: iustitiā colat, ius ex aequo omnibus dicat: sermonibus vulgi se non det: nec in premijs humanis spem reponat suam: suis illecebris illum virtus ad proprium decus trahat: spem autem & fiduciam omnem in deo, fonte omnium bonorum munificentissimo, reponat suam. Magna ergo opes fuerant illius urbis: sed & magnum robur, vires, & munitiones maxime.

Isaia 29.

2 Chron. 4.

Vocat Isaias eam ciuitatem Ariel, hoc autem est, Leonem Dei, propter summa praesidia & vires. Vnde illud lamentum Hieremia: Non crediderunt Reges terræ, & vniuersi habitatores orbis, quod ingrederetur hostis & inimicus per portas Hierusalem. Stupebat Pompeius, inquit Hegesippus, primo suo ingressu, acres virorum animos, muri decorem & magnitudinem, Sed & res ipsa docuit. Duos enim praestantissimos populi Romani Imperatores, Titum & Vespasianum, priusquam expugnaretur, defatiga-

uit:

sit: quos ipsa obsessa aliquando obsidione
 cinxit, quatuor deiectis muris, temploque
 succenso, triginta tamen millia Romani
 exercitus in urbem ingressa, vix ad reli-
 quias illius populi conficiendas, idque va-
 rio Marte, suffecerunt. Nec tamen ullis
 opibus, aut viribus humanis: sed summa
 sua nequitia & improbitate consumpta,
 perijt: dum plures interna seditio, quàm
 externum confecit bellum: Romanis spe-
ctatoribus potius tanta urbis ruina,
quàm expugnatoribus. Omnia igitur in
 ea ciuitate summa, omnia immortalitati
 comparata: quam ipse Spiritus sanctus,
 qui nec assentari, nec mentiri potest, per
 os Hieremia, Dominam gentium, Princi-
 pem Prouinciarum, urbem perfecti deco-
 ris, & gaudium vniuersa terra, appellare
 solet. Quam sacri Euangelista, ciuitatem
 sanctam vocant. Ipse autem excelsus pra-
 cunctis Regibus terra, Christus dominus,
 Davidico elogio, Ciuitatis Regis magni
 eam honorauit. Quantò enim Iudaea ca-
 teris prouincijs, inquit Hieronymus: tan-
 tò haec urbs cuncta sublimior fuit Iudaea:
 quicquid in membris laudis fuit, totum
 referebatur ad caput. Quantos haec urbs
 Reges,

Reges, quantos Prophetas, quantos Sacerdotes, quantos homines Deo charos emiserrit, longum est recensere. Magnus Dominus, & laudabilis nimis, inquit Dauid: In ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius, fundatur exultatione vniuersæ terræ mons Sion, latera aquilonis, Ciuitas Regis magni; sicut lætantium omniū, habitatio est in ea.

Psal. 47.

Quid causa
tam fædæ
ruinæ?

Quæ igitur causa tam fædæ ruina? Cur proiecit Dominus de cælo inclytum Israel, & non est recordatus scabelli pedum suorum, in die furoris sui? Ciuitatem illam, de qua dicebatur, Deus in medio eius, non commouebitur. Adiuuabit eā mane Deus diluculo. Arcum conteret, & confringet arma: scuta comburet igni. Superfluum credo videbitur, causas interitus, & euerisionis eius urbis, curiosè perquirere: cum illa sola sufficientissima sit, quam tot Prophetæ, tot sanctissimi prædixere viri: Mors, inquam, IESU Christi, veri Messia. Super tribus sceleribus Israel, inquit Amos, & super quarto non conuertam eum; pro eo, quod vendiderunt pro argento iustum, & pauperem pro calciamentis.

Amos ca. 2.

ris. *Et Micheas*: Nunc vastaberis filia latronis; obsidionem posuerunt super nos: in virga percutient maxillam Iudicis Israel. *Et ante hos omnes Iacob*: *Michea 5.*

Quia in furore suo occiderunt virū, & in voluntate sua suffoderunt murum. *Et ipse Dominus*: Quia, inquit, nō cognouisti diem visitationis tuæ. *Genes. 49.*

Mors, inquam, Messia, mortis & interitus illius urbis causa fuit. Verum malis hoc, multa alia necesse fuit antecessisse mala, nec erat hoc primum Iudææ delictum.

Peccata enim peccatis vindicantur, idque leniora grauioribus semper: ubi maturè vera pœnitentia, & intimo animi dolore, non expiantur, donec insigni aliqua ac incurabili obsignentur calamitate. Docet hoc diuus Paulus, dum, quæ causa fuerit cœcitatatis, fœdique lapsus veterum sapientum, exponit: Quia cum cognouissent *Ad Rom. 1:*

Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt: sed euauerunt cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis

ginis corruptibilis hominis, & volu-
erum, & quadrupedum, & serpentium:
propter quod tradidit illos Deus in
desideria cordis eorum, in immun-
diciam, vt contumelijs afficiant cor-
pora sua, in semetipsis. *Hac Pau-
lus.*

*Quod & nunc passim fieri videmus,
Ecclesiam Dei, ouile Iesu Christi, reliquit
quispiam, hareses sequutus est: templa,
arasque, Deo sancte dicatas, expoliavit,
atque ad extremum euertit: vasa sacra,
per sacrilegium ablata, prophanauit: Sa-
cerdotes pulsauit: sacramentis, salutis sue
remedijs, abusus est: Fidem in Baptismo
datam, prodidit: Filium Dei blasphema-
uit, ostentuique habuit: non fuit hoc pri-
mum eius hominis delictum, non prius
peccatum: multorum scelerum hic ulti-
mus fructus, ultima clausula est. Qua-
lem plagam & poenam, supplex & gemens
deprecatur David: Ne proijcias me, in-
quit, a facie tua, & spiritum sanctum
tuum ne auferas a me. Redde mihi
laticiam salutaris tui, & spiritu prin-
cipali confirma me.*

*Magnum enim hoc est diuini furoris ar-
gumen-*

gumentum, vulnus incurabile, Ultima
planè sceleris ultio.

Nec populi ergo Iudaici primum scelus fuit mors Christi, complementum & obsecratio hac erat uniuersi cursus nefarii: ut veniret super illos omnis sanguis iustus, à sanguine qui effusus est super terram iusti Abel, usque ad sanguinem immaculati Agni Iesu Christi. Sed qua tandem mala hoc ultimum, sine remedio, pererunt malū? aut quibus gradibus hac tanta ciuitas, ad eam ultimam delapsa est ruinam?

Prima illa fuit malorum causa, primusque precipitij gradus: Legis Diuinae, auitaque religionis, quæ una, & simplex, semper in illo populo fuit, in multas sectas, variasque hæreses distractio. Cum enim primis temporibus gens illa, uno animorum & voluntatum sensu ac consensu, Deum colisset, legemque eius, & Prophetas, interpretaretur: uno item nomine Israelis, populique Dei, appellabatur. Posterioribus temporibus, ocio, & rerum omnium copia, veterisque disciplina remissione deprauata: curiosius, minusque sanctè & sobriè, arcana legis tractare cæperit: inde

I.
Legis diuinæ
amittitur religio
gionis, in u
nâs sectas
distractio.

in varias sectas, variâque schismata, dis-
cessum est: noua quaedam nomina scriptu-
ra, maioribusque eorum incognita, usur-
pata: dū se alij Sadduceos, alij Scri-
bas, alij Phariseos, alij Eremobaptistas, a-
lij Nazareos, alij Ossenos, alij Herodianos,
alij Essaos, dici & haberi volunt: quae no-
mina tum primum inuecta sunt, ubi res-
pub. ipsa, & ciuitas, ad certum exitium &
calamitatem propendere cepit. Ex quibus
sectarum partibus quidam totam legem,
omniâque ea, quae à Prophetis erant prædi-
cta, amplexi sunt: ut Pharisei. Quidam
arbitratu suo, alios quidem libros, quos se-
querentur, laudabant: alios, prout illorum
sensui, voluptati, utilitatiue applaude-
bant, tanquam prophanos, minusque ger-
manos, reijciēbant; ut Sadducei. Quidam
Deum, omnium bonorum fontem & au-
thorem, profitebantur: ab eiusque munifi-
ca prouidentia, caelum, & uniuersam na-
turam complectentem, omnia expectan-
da esse, docebant. Animas nostras, di-
uinas & immortales esse: quibus, pro vir-
tutis quidem studio, caelestis hereditas:
pro scelere autem, aeternum paratum sit
supplicium: Phariseorum, & Essaeorum,
fuit

fuit hac sententia. Quidam casu & temeritate omnia ferri, post hanc vitam nullam aliam superesse lucem arbitrabantur: iisdem finibus virtutis & pietatis præmium, quibus vitam & sensum terminari: ultra tumulum extremosque cineres, nihil hominis superesse: præmia bonorum, poenas autem malorum esse nullas: Sadducaorum hic insanus & exitiosus fuit error. Alij solis diuinis promissis contenti, nihil his externum admiscebant.

Alij præter hæc Græcorum fabulas, de beatorum Insulis, ac Hesperidum felicitate, sequebantur. Sic in varias sectas hæresesque diuisi, quisque in eam partem, in quam sibi utile esse existimauit, sensum et mentem Legis traherat: ex vnaque vera et simplici religione, multas vanas, falsasque superstitiones pepererunt. Habent autem hoc malum Hæreses atque schismata, varijque de religione sensus: ut quascunque Respublicas semel inuaserint: illæ salutem & incolumitatem suam nullo modo diuinius tueri, aut cōseruare possint. Hæc quæ fuit ciuitatis illius prima ruina causa, hæc prima inclinatio: & quos tempore Ieroboam, aliorumque Regum, qui à vero discesserunt

serunt DEO, excelsa, & luci falsorum
Deorum non perdidērunt : hos hareses
& schismata, ad ultimam interne-
cionem deduxerunt. Testatur hoc ita
esse, vetustissimus scriptor Hegesippus:
Præter inquit, sectarum; & cultus di-
uersitatem, quæ in malum publicum
eruperat, ut è diuerso se perditos vel-
lent: auaricia habendi, & rapiendi cu-
pido animos inuaserat; ut nullius
quem prædæ studio deputassent, ne-
ci parcendum existimarent.

*Summa populi ar-
rogantia, fastus*

Fuit secunda illius tantæ cladis non
minor causa, summa populi illius arrogan-
tia, maximus fastus, cum incredibili qua-
dam pertinacia, animoque ingrato con-
iunctus: Qua primum ipsum Deum pa-
rentem benignissimum, qui circumduxit
eos, & docuit, & custodiuit tanquam pu-
pillam oculi sui: sicut aquila prouocans
ad volandum, portauit in humeris suis:
constituit super excelsam terram, ut co-
mederent fructum agrorum. Sanctissi-
mas item illius leges spreuerunt: ut illud
plane sublato in cælum ore, incrassati, in-
pinguati, dilatati, superbe dicerent: Ma-
nus nostræ excelsæ, & non Dominus
fecit

Exod. 32.

Psal. 12.

fecit hæc omnia; labia nostra à nobis sunt; & quis noster est Dominus? *Nusquam ius, nusquam religio fuit: nobilior is erat, qui plura deripuerat, quasi premia congerens fortitudinis, ut scribit Hegeſippus: id quod quisque per vim & nefas rapuerat. Deinde Prophetis eius, signisque ac portentis evidentissimis, quæ illorum certissimum denunciabant, ac vix non digito demonstrabant præsens exitium, eadem arrogantia nullã fidem adhibuerunt. Omne, inquit Iosephus, ab illis ius humanum calcabatur. Ridebatur etiã diuinitas, Prophetarum responsis, tanquam vulgaribus fabulis illudebant; certis verò prodigijs, & futurã solitudinem denunciantibus, neque attendebãt animo, neque credebãt; sed veluti attoniti, nec aut oculos habentes, aut animos, Ediçta Dei dissimularunt; signorum quædam pro sua libidine interpretati sunt, alia cõtempserunt: donec patriæ excidio, suaque pernicie, eorum iniquitas confutata est. Hæc ille.*

Hinc eorum superbia profecta, finem inuenit

mit nullum: Sacerdotes, Reges, Duces, ali-
 osquē domesticos magistratus, ipsumquē
 adeo Regem Messiam, contumeliosē spre-
 uerunt: pro Rege Casarem, fati & nefa-
 ria vocē apud Pilatum appellantes. Sed
~~neque hunc dum patienter pertulerunt~~: nā
 qui suos perferre non potest, tanto minus
 alienos. Licentia enim non id querit, ut is
 aut ille præsint, & regnet: sed ut nemo sit
 omnino quem metuat, quiuē eius effrena-
 tæ cupiditati frenos imponat: quæ dum pa-
 lam dicere erubescit, semper in eo magi-
 stratu, qui præsens est, aliquid desyderat:
 semper conqueritur: semper nouam for-
 mā, & speciem rerum exoptat. Spreuerūt
 ergo primos suos, spreuerunt & Romanos
 deinde, quibus se sponte dederant, magi-
 stratus. Simō primus seditionis dux & au-
 ctor, tributum Casari reddendum nega-
 uit: indignum esse clamitans, populum
 Dei idololatra populi tributarium esse:
 iniquum gentem liberam, quæ seruiuit nū-
 quam, sumptu simul templi & fisci exhau-
 riri. Sequutus est hunc vir præcipitis au-
 daciæ Eleasarus, militiæ dux: hic nullius
 externi munus, aut hostiam in templum
 Dei inferendam, aut Deo dicendam, cen-
 suit.

Ioseph. li. 2.
 ca. 7. de bel.

Ibid. ca. p. 17.

suit. Id autem erat, inquit Iosephus, Romani belli primum seminarium, & prima origo. Reiecit siquidem hostias Casaris, qua pro salute fortunæque populi Romani offerebantur, Pontificibus alijsque Principibus reipub. viris reclamantibus: ac ne vetustissimus honorificentissimusque & templo & urbi mos, pro Regibus supplicandi intermitteretur, nequicquam postulanti-
bus. Quam insignem contumeliam, dum Imperator Romanus perferre non potest, arma bellumque sumpsit: pacem ergo, inquit Hegesippus, fastu & superbia elati violauerunt, virtute non pares.

Quam secundam præcipitij causam, consecuta est illa tertia, summa Principum templi, pariter ac Reipub. ambitio, & dominandi libido: eiusque causa ad externos Principes, eosque infideles, cum patriæ ornamentorum prodicione, turpique assentatione coniuncta perfugia: Quod à Sacerdotibus, qui pro eo, quod omnis moderationis, continentia, mansuetudinis, auctores esse deberent: omnis improbitatis, sceleris, cupiditatis, duces & principes plerumque fiunt, initium & exemplum sumpsit. Primus Simon de tribu Benjamin, Seleu-

³ Ambitio et
dominandi libido

Machab. lib.
2. cap. 3.

ca *Asia Regi, potentia sua firmanda causa, summiq; Sacerdotij consequendi, thesaurus, depositumq; templi prodidit. Quare secundus Machabeorum liber sic explicat.*

Cum sancta ciuitas habitaretur in omni pace, leges autem adhuc optimè custodirentur, propter Oniæ Pontificis dispositionem & pietatem, & animos odio habentes mala fiebat, vt & ipsi Reges & Principes locū summo honore dignum ducerent, & templum maximis muneribus illustraren, tita; vt Seleucus Asiæ Rex, de redditibus suis præstaret omnes sumptus, ad ministerium sacrificiorum pertinentes. Simon autem de tribu Benjamin Præpositus templi constitutus, contendebat obsistente sibi Principe Sacerdotum, iniquum aliquid in ciuitate moliri. Sed cum vincere Oniam non posset, venit ad Apollonium Tharsææ filium, qui illo tempore erat Dux Coelesyriæ & Phœnicis: & nunciauit ei, pecunijs innumerabilibus plenum esse ærariū Hierosolymis; & communes copias immensas esse, quæ non pertinent ad rationem sacrificiorū: esse autem pos-

sibile sub potestate Regis cadere vni-
 uersa. & c. Deinde Iason frater Oniæ, sum-
 mum sacerdotium maxima vi auri apud
 Antiochum redemit. Quod idem Ma-
 chabeorum liber sic tradit. Sed post Se-
 leuci vitæ excessum, cum suscepisset
 Regnum Antiochus, qui nobilis ap-
 pellabatur; ambiebat Iason frater O-
 niæ summum Sacerdotiū: adito Re-
 ge, promittens ei argenti talenta tre-
 centa sexaginta, & ex redditibus alijs
 talenta octoginta. Super hoc promit-
 tebat & alia centum quinquaginta,
 si potestati eius concederetur gym-
 nasium & ephebiā sibi constituere:
 & eos qui Hierosolymis erant Anti-
 ochenos scribere, Quod cū Rex an-
 nuisset & obtinuisset Principatū, statim
 ad gentilē ritū cōtribules suos trans-
 ferre cœpit. Erat autem hoc nō initi-
 um, sed incrementum quoddam, &
 profectus gentilis & alienigenæ con-
 uersationis, propter impij & nō sacer-
 dotis Iasonis nefariū & inauditam sce-
 lus, ita vt sacerdotes iā nō circa altaris
 officia dediti essēt: sed cōtēpto tēplo,
 & sacrificijs neglectis, festinarent par-
 ticipes

Ibid. ca. 4.

Hegeſp. li. 5
cap. 16.

ticipes fieri paleſtræ, & præbitionis eius iniuſtæ, & in exercitijs diſci: & patrios quidem honores nihil habentes, Græcas glorias optimas arbitrabantur. *Qua de re in eum modum Iosephus apud HEgeſippum latiùs conqueritur:*

At vero noſtri dum Sacerdotium inter ſe competunt, & apud Parthos ambiunt conferri ſibi memoratum honorem, de religione mercaturam fecerunt. Quid de Babilonijs querimus? Noſtros experti ſumus deteriores; illi nobis reddiderunt omne ius religionis illi Sacerdotũ creationẽ reſtituerunt: illi Sacerdotales Infulas permiferunt noſtræ poteſtati: nos eas Barbaris ſpõte tradidimus. Minor eſt circa nos ira Dei, quàm noſtra cõtentio.

I bid. lib. 4.
cap. 6.

Hinc eo proceſſum eſt, ut ignobiles atque indigni ſubſtituerentur Sacerdotum Principes, qui contra meritum ſuum adepti ſacerdotia, ad omne nefas conferentium arbitrio ſubijciebantur. Eamque ob cauſam equo Deoque digno iudicio, Hieruſalem una cum ſacris & ſacerdotio ſuo, cuius impios

pios mercatus exercuit, non multo post in
 Antiochi peruenit potestatem. Exce-
 perunt à Sacerdotibus parem ambitio-
 nem, paresque ambitionis artes, Principes
 Reipub. Aristobolus & Hyrcanus fratres:
 qui cum inter se de Regno conuenire non
 possent, Romanos, à quibus ignorari sati-
 us fuit, ad cognitionem & arbitrium Reg-
 ni inuitarunt: rogauerunt igitur amicitia-
 m, fidem non seruaturi. Ad Pompeium
 primo, cum Imperio tum Asiam tenentem
 confugiunt: ab eoque paternum regnum,
 ad què tum nihil pertinebat, ambitiosè pe-
 tunt. Recipitur Pompeius cum exercitu in
 urbem, suisque manibus aperiunt portas:
 non multò post urbis & templi expugna-
 toribus. Ad templi irruptionem ipsi fossas
 replebant, ait Hegesippus, impiòque mini-
 sterio, & turpi obsequio, seruiuerunt: ma-
 nus eorum in cophino, mentes in sacrile-
 gio. Horum igitur contentio, inquit
 Iosephus, Pompeium intulit ciuitati: &
 Romanis Iudeos libertate indignos subie-
 cit, Consecuta fuit & alia magis exitiosa,
 inter Alexandrum, Aristobulum, &
 Antipatrum, Herodis filios, Regni con-
 tentio: quorum illi priores duo, ex Mari-

amme Regio sanguine orta, Rege Herode
 nati: posterior hic ex Doride priuata mu-
 liere, ipso Herode priuato, genitus: illi ge-
 nere, hic gratia patris, elati, communis, &
 sibi, & patri, & alijs multis, Reipub. deni-
 que ipsi, causa fuerunt exitij. Quis Ro-
 manos in Iudæam introduxit? inquit
 Iosephus, nisi Hyrcani & Aristobuli
 contentio. Quis Sosium? nisi Hero-
 des. quis Antonium? nisi Sosius. quis
 Cæsarem implorauit sibi Regem? ni-
 si vos. quis, præter vos, Antipatrum
 Regno expulit, & libertatem in An-
 tipatro? Sic dum utrinque Regnum qua-
 ritur, utrinque seruitus accersitur, & ac-
 cipitur. Fædæ res est ambitio: qua, et suis
 imperet, alienis seruire non recusat: om-
 nia deinceps à Romanis quærebantur, om-
 nia petebantur.

Factionis civilis Ex ambitione nata sunt factiones ci-
et domesticæ uiles, domesticque tumultus: veluti quar-
tuus tus ad exitium progressus: qui, specie qui-
 dē tuenda dignitatis & libertatis suscipie-
 bantur, re ipsa autem Regnum & domi-
 nationem quorundam astruebant. Dum
 enim quisque in Reipub. primus esse vult,
 eaque res opibus & adminiculis multorū
 opus

opus habeat, ad conciliandum populum se confert: verum cum opes singulorum, ad omnium conciliandos animos, sint parua, species libertatis, qua nihil gratius hominibus videri solet, stultæ obijcitur plebi: sub eiusque prætextu factionum firman- tur partes. Sic tum in duas dissidentes par- tes, tota illa ciuitas diuisa fuit: alteram popularem, optimatum alteram. Popula- ris factionis duces fuerunt, Eleasarus, Si- mon, Ioannes, alijque eius generis, lingua & manu prompti iuuenes. Qui cum sua per ambitionem & luxum profudissent bo- na, ere alieno immenso pressi, perturbatio- nem negotiorum Reipub. questum & lu- crum suum esse putabant: qua salua, ipsi salui esse non poterant. Publicæ igitur li- bertatis causam, contra vim & potentiã populi Romani: cui neque tributa reddere, neque vota pro illius salute suscipere volu- erunt: verbo suscepisse se profitebantur, (indeque Græco nomine Zelotæ, tanquam legis ac libertatis publicæ vindices & as- sertores appellabantur) re autem ipsa pau- pertatis & infamie sua remedia quare- bant. Optimatum Duces fuerunt, Ananus Pontifex, vir præstantissimus: Iosephus-
que

que, qui postea totam illius urbis conuersionem litteris consignauit. Qui cum facile animaduerneret, seram illam tuendam libertatis deliberationem esse, nec tum primum Romanis viribus ac potestati obuiandum fuisse, cum iam intra muros ipsiusque urbis viscera versarentur: sed multo ante rebus integris, tum cum sponte per nimiam ambitionem accersebantur, illi malo obfisti debuisse. Suadebant igitur populo, ut Dei voluntati ac iustissima vindicta, ipsique adeo necessitati cederent. Hacque fuit quasi prima in acie ciuitatis illius deductio. Duo sunt omnibus Rebus pulicis, si diu salua & incolumes permanere uolunt, omni studio & diligentia prouidenda. Primum Libertas: quae tamen cum iustitia, dignitate, praesidio, ac reliquis reipub. ornamentis sit coniuncta, omnibus rebus humanis anteponenda: pro illiusque incolumitate & integritate, totis viribus & opibus dimicandum. Est enim libertas pulcherrimum quoddam, & humana natura accommodatissimum bonum: sine qua nihil cuiquam iucundum, nihil dulce esse potest: sine qua, uita ipsa parum uitalis esse uidetur. Deinde, nulli aequè suspecti habendi

bendi, quam illi. qui eius libertatis nimij vindices & assertores videri volunt. Tales enim sub ea libertatis specie Respub. fere omnes perdidit. Sic Pericles Atheniensium civitatem: qua cum Solonis legibus & institutis, ex optimatum populique administratione temperata fuisset, assentator populi factus, Senatus auctoritate dimi nuta, totam popularem fecit: cui, quamdiu ipse homo acer & prudens praefuit, florebat utcunque civitas: at ubi ad alios Duce, ipsumque solum populum eius gubernatio deducta est, funditus interijt. Sic Caesar & Pompeius Romanum perdidit imperium: dominationem enim utriusque quasitam fuisse, non id actum, Beata, libera & honesta civitas ut esset, ac utrunque regnare voluisse docet prudentissimus Senator. Sic Hierosolymam isti eius libertatis & dignitatis nimij assertores, de quibus diximus, hac ratione qua audistis perdidit. Multis enim dum libertas quaeritur, servitutem accersiri dicebat Agrippa. Libertatis igitur custos lex sit: qua sumis ac infimis aequa reddat & perscribat iura: aequitate constituendi, summa cum infimis pari iure retineantur: nihil contra leges

leges committatur, quod impunè fiat : in alienam dignitatem, fortunas, vitam denique, nemo temerè inuadat : quod quis habet, illud se existimet habere : Legum imperio, Iudiciorum seueritate, Magistratum auctoritate, libertas Romana stetit. Male paucis tantus cõmittitur thesaurus.

5
 Externus
 Ex qua factionum ac domesticorum tumultuum labe, illa ultima consecuta est calamitas, externus in urbem missus miles. Dum enim homines populares Optimatibus pares esse non possunt, Idumeos accersunt: genus hominum turbulentissimum, ad omnesque motus facile propensum, & rerum mutationibus lætum: quod veluti ad festorum quandam solennitatem, dicebat Iosephus, sic ad prælia properabat. Immittuntur in urbem ad viginti millia hominum egentissimorum: quam ingressi, nulli pepercere: tum quod natura ad cædes propenderent: tum quod hyeme grauius afficiebantur: tam supplicantes, quam repugnantibus insensis: nullus autem aut fugiendi, aut salutis erat locus; ita octo millia & quingentos mortuos dies inuenit.

Demum

Demum, quæ mala consecuta non sunt? Neque enim existimandum est, ullum monstrum, ullam pestem, ullam labem rebus publicis nocentiorum esse, factionibus ipsis, ubi in apertum erumpunt tumultum. Quid tum mali, erecto quasi publico licentia vexillio, non consequitur? Legibus, iudicijs, reipublicæque institutis, iureque uniuerso sublato, ac quasi communi sententia in vitam & fortunas impune violandas omnium perlata. Nihil iam est cuiquam proprium: non ædificiis, non uxor, non liberi, non uita demique ipsa. Et quæ aliquando fuerunt uitæ solatia, in causas noui doloris & acerbitalis uertuntur: ita demum, non agri conferuntur, non pascua curantur, non uineæ aut horti excoluntur, non mercimoniam exercentur, non nauigationes instituuntur, officina clauduntur, litteræ & studia conticescunt, nulla publicæ aut priuata ædificia surgunt: sed ruunt potius & labuntur omnia. Ab audacissimis & egentissimis hominibus carceres effringuntur, tabulæ publicæ exuruntur, ædificia potentium & diuitum liberè distrahuntur, horti & uineæ succiduntur: templa, porticus, aliæque publicæ ornamenta fœdantur: nihil

tum

tum improba cupiditati fit satis, omnia vastitas & tristis desolatio occupat. Coniuges, liberi, ante ora vultusque parentium turpiter diuexantur: nulli aetati, nulli parcitur sexui: nihil ab hoste irato impetratur: desolationem agrorum, ac dissipationem horreorum, consequitur fames, famem dira pestis. Tulit haec omnia priusquam perijt, domestico tumultu vexata Hierosolyma. Nam in seditione, quasi seditio facta est, altera in alteram parte versa: homines populares qui templum occuparant, dum se mutuo perferre non possunt, in seipsos vertuntur. Occupat Eleasarus cum suis superiorem templi partem, IOannes inferiorem: Simo eam urbis quae templo subiacebat, occupauerat regionem: ita ladebant pariter ac ladebantur, dum à superioribus inferiores oppugnantur, medij ab utrisque. Sic illa pietatis & religionis sanctissima sedes, facta fuit tumultus & seditionis area. Ab alia Optimatum factione, impetus in templum fiebat: vineae, ac reliqua munitiones, quae pro templo contra Romanos urbem obsidentes extrui debebant, aduersum ipsum templum erigebantur. Ante aras ipsas Sacerdotes senes, pueri,

pueri, ac nobilissima femina cadebantur:
 & unde spes salutis referri debebat, inde
 certissimus reportabatur interitus. Multi,
 inquit Hegesippus, qui properantes ab
 ultimis finibus terræ, ad sanctissimū
 locum religionis causa venerant, an-
 te ipsas hostias occubuerunt: arāque
 vniuersis Græcis & Barbaris admirā-
 dā, suo sanguine imbuerunt. Sacer-
 dotes inter eas quas mactabant victi-
 mas, immolabātur. Ciuibus mortuis
 aduenæ, Sacerdotibus prophani mis-
 cebantur: perque atria diuina, stagnū
 fecerat diuersorū cadauerū sanguis.
 Sic dies in sanguine, noctes in formi-
 dine trāsgebantur. Fames fuit maxi-
 ma: lacertis viridibus, *narrat idem HE-*
gesippus, cæterisque serpentum gene- *Ibidē cap: 18.*
 ribus, coctis exuuijs, pestem addebāt;
 paruos liberos macie consumi, & a-
 perta ora frustra extendere videbant,
 exhausti fame & tabe luridi, nec ocu-
 los quidem attollere poterant; figura
 sola hominis remanserat, vsus inter-
 cederat: simulachra hominum cerne- *Ibid. cap: 21.*
 res, officia desiderares, mutis tantūm
 sensibus aspiciebant templum. In Ro-

- Ibid. lib. 5. cap. 24.* mana castra confugientibus, vbi ci-
bus datus est, cœpit oneri esse, desue-
tis edendi officijs si quid sorbuissent
mollioris alimonix, interclusis iam
faucium meatibus strangulabantur.
Obriguerunt interiora viscerum, ob-
structi erant ductus ciborum. Arue-
runt iecoris venæ, quæ cibos attra-
hunt; virtus defecerat, cibi appetitu
manente. Ruebant super cibos & in-
ualidos morsus, more infantium mo-
liebantur, visis alimentis ipso gau-
dio deficiebāt. *Hæc quidem Hegesippus.*
*Illud demum Ieremiæ Propheta consecu-
tum est:* Manus mulierum misericor-
dium coxerunt filios suos, facti sunt
cibus earum in contritione filix po-
puli mei. Compleuit Dominus furo-
rem suum, effudit iram indignatio-
nis suæ. *Sic iniusta illa Iesu Christi sitis,*
quam isti felle & absinthio exacerbarunt
potius, quam extinxerunt, iustissima ex-
tremæ famis pœna vindicata est: reddidit
Dominus vicem, ait Hieremias, iuxta ope-
ra manuum illorum. Ex fame pestis orta.
- Ibid. li 5. c. 2.* In templo ipso persequitur rem narrā-
do Hegesippus, pro vnguentis bene o-
lentibus,

lentibus, pro incensis bene spirantibus pro diuersorum florum odoribus, grauis erat in sepultorum cadauerum foetor: quos pluuia dissoluerat, quos flamma combusserat, quos sol calefecerat, omnes artus cesorum ciuium diro odore foetebant: hinc resolutorum putredo viscerum; inde exustorum nidor, sensus omnes atque ora complebant uiuentium: ut ipsi non multo post grauiore morbo consumerentur, ac se superstites ingemiscerent, quo duriore poena perirent: eoque se seruatos, ut viderent cum patria simul solui etiam leges naturæ; negari ius uiuentibus, pacem ciuibus, sepulturam defunctis, humana pariter atque diuina maculari atque permisceri, criminofam esse misericordiam, religionis loco haberi crudelitatem. Castrum in templo, bellum in limine, funus in altaribus.

Matthæus miserabilis & senex, & Sacerdos, ictum carnificis super colla charissimorum pignorum, ipsis primo in oculis eius crudeliter casis, excepit: quo spectaculo nihil funestius, nihil calamitosius, nihil

*Matthæus. li. 5.
cap. 22.*

P 2 magis

Ioseph. li. 4. ca. 7. de bello magis miserum fieri potuit. Iacebant tūc
 in medio foro duorum summorum Pontifi-
 cum, refert Iosephus, Principum reipub.
 Anani & Iesu, paulò ante sacris indu-
 mentis toto orbe celeberrima religionis a-
 micta, nuda corpora sine sepultura, cani-
 bus & feris proiecta esca. Illudque Davi-
 dicum testatur esse completum: Posuerūt
 morticina seruatorum tuorum, escas
 volatilibus cœli, carnes Sanctorum
 tuorum bestijs terræ, effuderunt san-
 guinem ipsorum tanquam aquam in
 circuitu Hierusalem, & non erat qui
 sepeliret. Ruebant ambusta mollium, de-
 uoluebantur sublimium adificiorum cul-
 mina, sanguine, fame, peste, incendio, rui-
 na, tota urbs consumpta perijt. Tam du-
 rum & amarum est, incidere in manus
 Dei uiuentis & seuiantis. Tum senes ac
 mulierculæ intestinīs malis attonitę,
 ait Iosephus, pro Romanis vota facie-
 bant; externumque vulnus, quo do-
 mesticis malis liberarentur, expete-
 bant. Subuersum est cor earum. iuxta
 Hieremia predictum, in semetipsis; quo-
 niam amaritudine plenę factę sunt.
 Illudque quod prædixerat Moyses, imple-
 tum:

Psal. 78

Ad Heb. 10.

Deut. 32.

tum: Foris vastabat eos gladius, & intus pavor, iuuenem simul & virginē, lactentem cum homine senē. *Exclamat Iosephus*, Quid tandem passa es, o miserrima ciuitas, à Romanis? qui tua intestina scelera purgaturi, flammis introire. Iam enim Dei locus non eras, neque permanere poteras domesticorum funerū facta sepulchrū; præsertim tuorum, quos ipsa occideras, non quos ab hoste amiseras. *His igitur quasi gradibus à salute & incolumitate, ad tam dirum & crudele exitium, vrbs illa perducta est: ut neque illam antiquitas sua, neque ingentes diuitia, neque per totum orbem diffusa fama, nec magna religionis gloria, quo minus periret, quicquam iuuerit: Non illam maiestas & religio Sanctosanctorum, non propitiatorium, non arca testamenti, non virga Aaron, non denique ipsi Cherubin texerunt: non nobilitas, nec præclara parentum gesta quicquam profuerunt: nec mirum, si maiorum amiserunt merita, quorum fidē, pietatem, virtutem, iam pridem prodiderunt: sed ne pretiosus quidem sanguis ipse IESV Christi Domini eam iuuit, qui pro-*

*Hegeſip. li. 5.
cap. 2.*

lixe stillans ciuitatem illam irrigauerat
 non sepulchrum ipsum, quod quoties ingre-
 dimur, inquit Hieronymus, toties iacere in
 syndone cernimus ipsum Saluatorem. Re-
 pulit enim Dominus altare suum, maledi-
 xit sanctificationi suae, obliuioni tradidit
 in Sion festiuitatem & sabbatum. Facta
 est igitur ciuitas in tumulum, vrbs fortis
 in ruinam & desolationem. Neque verò,
 vt diximus, aut opibus & exercitibus, aut
 Imperatoribus Romanis cessit, sed sua illa
 malicia, sua perdidit factiones. Fate-
 batur hoc ipse Titus Romanus Imperator,
 indignitate ab ipsis succensi templi sacra-
 tissimi permotus. Cur, inquit, templum
 & externi & gentilis sanguinis effusi-
 one polluistis? Testor ego patrios De-
 os; & si quis vnquam hanc urbem aspe-
 xit, nunc enim neminem credo; ite-
 rumque testor exercitum meum, &
 vos ipsos; quod non ego hæc vos vio-
 lare compellam; seruabo autem vo-
 bis templum etiam nolentibus. Com-
 pellat demum Ioannem, seditionis autorem
 pertinacissimum. Fide mea salua, hæc
 omnia tibi futura spondeo; veniam
 tibi salutis polliceor; non pro mer-
 cede

cede sceleris, sed pro redemptione vrbis; vt à te redimā periturorum culminum statum. Desinas, moneo, latrocinijs tuis conturbare propositū pietatis Romanæ. Quid sibi volunt, Ioannes impressi illi ante fores templi apices elementorum? Nōne significant, neminem nisi sacratum debere templo appropinquare? Quid illa septa pro templo? Nōne vt conspectus arceāt vniuersorum liberos, solisq̄ue mysticis pateat secretorum cognitio; atque his sit liber aspectus, quibus est legitimus ingressus? Prospectus excluditis peregrinorum, & accessus cogitis. Scribitis, vt nullus ingrediatur aduena, nullus peregrinus introeat: & peregrinum sanguinem intra templum funditis, aduenarumq̄ue simul & ciuium cruore vestra altaria cumulatis. Testificor ego, non impressionis nostræ esse, sed vestræ præuaricationis, quod violatis quæ vestra sunt. Ego alienus non exigo; imo obtestor, si velitis discedere, incolume templum futurum; neminem Romanorum hostiles ir-

rogaturum manus, nihil de vestris temerandum esse sacrificijs. Seruabo templum vobis & profelytis; cultus enim Sacrorum diuersus, sed operis communis vsus. Quod cultus fuit, à vobis recessit; quod operis est, victoribus remansit. Seruiuimus vobis, vt vestris legibus viueretis; dedimus potestatem vestris inseruire cultibus; sacra vestra scire nolimus, sed honorauius. Postea rebellandum putastis. Pompeius templum cepit, sed non diruit; urbem occupauit, sed integra omnia reseruauit donaria. Pro quibus, ô grati socij, hanc vicem nobis rependistis, vt tertio rebellaretis. Veni ad bellum specie terrentis, affectu rogantis. Quoties à moenibus vestris vocaui exercitum? Quoties postea à penetralib⁹ templi retraxi? quoties restinxi incendia? quoties monui? sed nunquam audistis.

Sic demum ultimo, quisquis ipse esset, Israeliticum Deum obtestatus est: ubi funestum matris facinus, quæ tum fœdè & miserabiliter filium suum, ultima fame pressa, intra viscera sua receperat, cognouit:
Mundus

Mundus ego ab hoc contagio; tibi
 me absoluo quæcunque in cœlo po-
 testases; scis, scis profectò, quia inti-
 mo affectu pacem frequenter obtuli
 & quod non pudet dicere, victor ro-
 gavi, quia parcere etiam ipsis tanto-
 rum flagitiorum prodigiorumque
 autoribus volui, parcere populo, vr-
 bem seruare: sed quid facerem repug-
 nantibus? sed quid facerem aduersus
 suos furentibus? positis plerunque
 armis, quia illi à suorum cædibus nō
 desinebant, in bellum reuerti. vt libe-
 rarem obsessos, non perderem: ipsi
 nos de muris hortati sæpe sunt dimi-
 care, ne grauius à suis perirent. Qua-
 les sunt ciues, quibus hostis remedio
 est? *His ex causis igitur tanta perijt ciui-
 tas. Gens electa, Regale sacerdotium, ciui-
 tas referta populis, clara Regibus, amica
 Deo, gratia sedes: vrbs, qua solebat sine
 armis vincere: populus, cui sol stetit, mare*
 & Iordanus cecidit. Deum enim, qui eam
 genuerat, dereliquit: & oblita est Domini
 creatoris sui: percussit Iudicem Israel in
 maxillam, nec recordata est nouissimorum
 suorum. Ideo abscondit faciem suam ab ea

Ibi. cap. 22.

& considerauit nouissima illius. Ideo factus est Dominus veluti inimicus, precipitauit Israel, precipitauit omnia munera eius, dissipauit munitiones, percussit quæ eam vulnere, à quo non poterat curari. Quodenim remedium, quæ ratio salutis, ubi autor vitæ & incolumitatis non reconciliatur? Omnibus autem Regnis ac Rebus pub. specimen & exemplum datum, quid sequi, quid declinare debeant, si diu felices & incolumes permanere velint. Tibique in primis Patria mea, hodierno die speculum propositum est, in quo diligentius vultum faciemque intuearis tuam: num similibus aut hæresum, aut arrogantia, aut ambitionis, aut factionum, inquinata sis maculis: num peregrina omnia, quàm tua malis: à quibus si libera es, O beatam te & felicem, sin autem à planta pedis, vsque ad verticem capitis, sanitas in te nõ est: exterge maculas, abluc sordes tuas, priusquam sententiã. Iudicis audias. Veniet in te dies, quãdo proyicient te inimici tui in terrã, & filios tuos, et nõ relinquetur in te lapis super lapidem, eo quod non cognoueris tẽpus visitationis tuæ. Neque .n. melior conditio esse potest syluestris oleastri

oleastri, quam germana oliuae. Nec serius
adoptatae filia, quam illius cui dictum est: *Psal. 132.*


Hæc requies mea in seculum sæculi,
hic habitabo quoniam elegi eam.
Cuius confortauerat Dominus seras *Psal. 147.*
portarum, benedixerat filiis eius in
ca. Verum dices fortasse: Iesum Christum
auro & argento non vendidi: ad causam
sanctissimæ religionis eius, aras item &
templa, at ius & æquum, vel precio, vel
gratia toties prodidisti. In horto captum
non ligavi, at manus omnipotentia eius
multoties ligasti, cum omnipotentem Di-
uinitatem eius, non plus posse, quam an-
gustus sensus, aut mens tua capit: stulte
& impune decernis, nec plus illi fidei ha-
bes, nisi quantum vis, mentæque tua hebe-
ti capis. Faciem eius non conspui, maxillâ
non percussi, tergum flagris non afflixi: at
unicam sponsam eius Ecclesiam, tot ca-
lumnys, tot maledictis dilacerasti: at ma-
trem eius virginem sanctam, impudica
dicacitate toties proscidisti: at faciem æ-
ternæ diuinitatis eius, quod longè maius
est, tot nefandis blasphemys fædisti. Coro-
nam spineam capiti eius non imposui: at
æternitatis & omnipotentia coronam ex
capite

capite eius nefarie detraxisti. In crucem
 Saluatorem mundi non sustuli: at ex
 folio dextera Patris, impie & scelerate de-
 trahere conata es. Regem meum non occi-
 di, ut hominem non occidisti, ut autem ve-
 rum Deum, quod in te est Arriana per-
 fidia, qua in te sedem posuit suam, extin-
 guere moliris, dum eum in aternitate na-
 tum, & uiuentem non agnoscis. Utinam
 igitur & tu cognoscas diem uisitationis
 tuae, priusquam hac omnia mala ueniant
 in te, quae tu ipsa manibus tuis attrahere,
 illisque uiam latissimam sternere non de-
 sis. Ego quidem pro meo officio, non tam
 libenter, quam necessario, quod debui dixi,
 tu autem uide, quid tibi faciendum sit, an-
 tequam praeueniat te dies Domini mag-
 nis, & terribilis ualde, dies tenebrarum,
 & caliginis: dies nubis, et turbinis: &
 quis sustinebit eum? Hierusa-
 lem, Hierusalem, conuerte-
 re ad Dominum Deum
 tuum. Amen.

STANISLAI SOCO-
LOVII, DE VESTITV
HAERETICORVM, ET
FRVCTV HAERE-
SEON.

*Attendite à falsis Prophetis, qui ve-
niunt ad vos in vestimentis oui-
um, intrinsecus autem sunt
lupi rapaces.*

MATTH. VII.



MATOR salutis
& incolumitatis
nostræ CHRISTUS
Dominus, nullam
rem esse, quæ po-
pulo CHRISTIANO
magis cauēda, ma-
ioreque studio ac ^{Tit. 3.}
diligentia fugienda sit, quàm falsos
Prophetas; quos Paul⁹ & reliqua scri-
ptura, Hæreticos appellare solet, sum-
ma maximaque cautione & monuit
& docuit semper. Nusquam scriptum
aut dictum legimus; Attendite à Ty-
rannis,

rannis, qui vos per varia tormenta, multiplicesque cruciatus à recta & firma fide constantique proposito vestro dimouere atque detertere conabuntur. Nusquam dictum est: Attendite à Iudæis, Gentilibusque, qui omnes conatus suos ad vos opprimendos, vestrosque labores inficiendos relaturi sunt. At illud grauissimè dici audimus: Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Neque verò nudè & simpliciter à falsis Prophetis nobis cauendum esse docet: sed etiam eius suæ tam diligentis tam salutaris cautionis duplicem adfert rationem: summam scilicet eorum, qui fugiendi sunt astutiam & peruersitatem, qui, inquit, veniunt ad vos in vestimentis ouium, & parem astutiæ & versutiæ rabiem & feritatem, intus autem sunt lupi rapaces. Vt enim eos scopulos dicebat Magnus ille Theologus Nazianzenus, magis nau-tæ declinare solent, qui sub aquis tecti delitescunt, quàm eos qui ex-
tant

tant & eminent : Ita & illi inimici
 maximè vitandi sunt : qui vt latentès
 scopuli sub aquis , sic illi sub multis
 simultatum integumentis occultan-
 tur , & qui tum demum sese pro-
 dunt , cum iam nauis fracta merces-
 que disiectæ sunt . Cum præsertim
 vt ait AMBROSIVS , Caput pe-
 tant , iugulum inuadant , vitali-
 bus vulnus infligant , corpore saluo
 animam occidant ; quale inimicos
 maximè metuendos esse idem Sal-
 uator docuit semper . Atque nunc
 item grauissimè & studiosissimè mo-
 net : Attendite à falsis Prophetis,
 qui veniunt ad vos in vestimentis
 ouium , intrinsecus autem sunt lu-
 pi rapaces . Idem igitur & nos aga-
 mus , ac quis sit iste vestitus ouium
 que integumenta ; sub quibus falsi
 Prophetæ latere solent ; qui item
 fructus , per quos dignosci possint,
 paucis ex sacris literis , doctissimo-
 rumque virorum iudicijs ad publi-
 cam vtilitatem explicemus ; vt vbi
 eos semel cognouerimus , tandem
 aliquando amare desinamus . Ne-
 mo

*Super Luc.
 li. 2. cap. 10.*

*2
 170*

mo autem hac nostra offendetur oratione, nisi is, qui se prius suo iudicio, aut hæreticum esse, aut hæreses sequi condemnarit; Quod vbi cognoscet, laqueo contrito liberatus, nobis potius, qui eas pelles lupis exitiosissimis detrahimus, gratias aget, quàm vt succensere debeat. Cuius nostri propositi initium à diuini numinis inuocatione capiamus.

Quis igitur hic vestitus ouium? quæ integumenta, quæ tam molles & infidiosæ pelles, sub quibus falsi Prophetæ delitescunt, Christique ouibus imponere, easque decipere solent? Alij aliter iudicant: quidam omnem externum cultum, orationes, Eleemosynas, ieiunia, humi cubationes, omnemque eam quæ propalam fit vitæ probitatem & continentiam, quam æquè boni ac mali simulare possunt vestimenta ouium appellare solent. Quidam cæremonias, ritusque Ecclesiasticos omnes ea ipsa integumenta esse

esse putant. Alijs omnis ille durus ac vilis vestitus, quo Monachi & Heremite, ac ceteri omnes, qui mundo renunciarunt, asperiusq; quoddam & horridius vitæ genus amplexi sunt, videntur, lana & indumenta ouium videri solent. Verùm nobis in re maximi momenti magis seriū quid, quodque cum summa rei melius conueniat, querendum est. Cuius rei fundamentum hoc iaciamus: Omnis hæreticus, teste Hieronymo, hypocrita est: aliud agens, aliud simulans. Omnis porrò hypocrisis non suo, sed alieno induta vestitu incedit, qui est virtutis & honestatis, omniumque eius partium simulatio. Cùm igitur hæreticus quisque hypocrita sit, duplicem habeat vestitum oportet: Alterum cum alijs hypocritis cōmunem: Alterum qui illi proprius & peculiaris sit: communis vestitus erit, quod piū, quod honestū, quod cum virtute prima fronte cōiunctum apparet; hæc enim omnibus hypocritis sunt communia, in quibus simulationibus dici non potest, quantum vete-

Q

res

alix vestitus

res hæretici excelluerunt, quantum
ieiunijs, orationi, quantum omni
vitæ parsimoniam & continentiam ope-
ram dederant. Nunc vt virtute ipsa,
ita & omni eius specie ac simulatio-
ne hæreses carent. At peculiaris ve-
stitus quis, de quo nobis præsens est
institutum? Dum totam scripturam
expendo, dum omnem antiquita-
tem percurro, dum nostrorum tem-
porum rationem diligenter intueor,
non alium hunc vestitum inuenio,
quàm ipsum verbum Dei, sacramque
scripturam, qua omnes errores suos,
omnes fraudes, somnia, nugas, ac de-
liramenta hæretici, vestire ac ornare
solent. Hoc ita esse, primum veterum
Pseudoprophetarum exemplum do-
cet; Omnes enim illi veteris testamen-
ti falsi Prophetæ, cum aliquid nouum
ad populum dicebant, semper illis
abutebantur verbis; Hæc dicit Do-
minus, hæc dicit Dominus; cum se il-
lud dicere Dominus pernegaret. De-
inde hoc idem Saluator innuit di-
cens; Non omnis qui dicit mihi Do-
mine Domine, intrabit in regnum
cœ.

cœlorum, sed qui facit voluntatem patris mei. Ac si diceret, non omnis ille, qui toties ingeminat more falsorum Prophetarum, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui voluntatem facit patris mei.

Quod Petrus paulò clarius explicat.

Quemadmodum, inquit, PAVLVVS ^{2. Pet. 3.} frater noster charissimus ostendit in omnibus Epistolis, in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles deprauant, sicut & cæteras scripturas ad suam ipsorum perniciem. Deprauabant autem vel falsa interpretatione, vel ipsius scripturæ inuersione, quorum nunc

plena sunt omnia. Itaq; D. Ambrosi⁹ *Ambr. super epistol. ad Titum ca. 3. tomo 3.* hac plena definitione hæreticos qui & quales sint, explicat. Hæretici ij

sunt, qui per verba legis legem impugnant, proprium enim sensum verbis legis astruunt, vt prauitatem mentis suę legis autoritate cõmendent. Sciens. n. impietas, multũ valere autoritatẽ legis, fallaciã sub nomine eius componit: vt quia res mala per se-

Q

2

met-

metipsam acceptabilis esse non potest, bono nomine commendetur. Nam cum sciāt hæretici, magnam esse sacræ scripturæ authoritatem, ideò hac ipsa errores suos & deliramenta tegunt, suaque testimonia minus valida, sacræ scripturæ authoritatib⁹ alligant. Hæc Ambrosius. Quod idem Vincentius Lirinensis, his verbis de antiquitate Catholicæ fidei docet: Quid est vestitus ouium? nisi Prophetarum & Apostolorum proloquia, quæ iidem quadam synceritate, agno illi immaculato, qui tollit peccatum mundi, tanquam vellera quædam texuerunt. Qui sunt lupi rapaces? nisi sensus hæreticorum feri, & rabidi, qui caulas Ecclesiæ semper infestāt, & gregem Christi quaqua possunt dilacerant. Sed vt facilius incautis ouibus obrepant, manēte luporum ferocia, deponunt lupinam speciem, & sese diuinæ legis sententijs, velut quibusdam velleribus obuoluunt, vt cum quisq; lanarum molliciem præsensērit, nequaquam aculeos dentium pertimescat. Hæc Lirinen. Nemo ex veteribus hære-

Lirinen. li. 1.
cap. 36.

hæreticis, tam impurus, tam impius, nemo tam absurdus perditusq; fuit, qui non suum errorem ex his, quas nunc in manibus habemus confirmaret scripturis: Videre hoc licet apud Irenæum, Tertullianum, Epiphaniū, cæterosq; qui eorum sententias argumentaque retulerunt, acerrimeq; refutarunt. Non contentus erat vno & alio sacræ scripturæ loco, ad sua confirmanda, Valētinus atque Marcion: nisi vniuersum nouum Testamentū, omnesq; Pauli Epistolas suis accommodarent sententijs: ac si in opere incrustato & vermiculato, translatis lapillis, ordineque mutato, ex homine faceret vrsū aut Leonem: quam similitudinē venustissimè Irenæus contra Valētinū ante mille trecentos annos his verbis explicat; Cū igitur talis sit ipsorum doctrina, quam neq; Prophetæ prædicauerunt, neque dominus docuit, neque Apostoli tradiderūt, quam de vniuersis iactant se plus alijs cognouisse, ex non scriptis legentes: & quod dici solet, ex arena funiculos neçtere studentes; ad faciendam

*Iren li 1. ca.
1. contra hæreses.*

fidem conantur prædictis adaptare, aut parabolas dominicas, aut sermones Propheticos, aut dicta Apostolica, quò figmentum ipsorum non testibus carere videatur, ordinem & seriem scripturarum transilientes, & quantum in ipsis est membra veritatis soluentes. Transferunt enim & transformant, & aliud ex alio facientes, multos decipiunt, per malè compositam dominicorum verborum adaptatorum sapientiam. Quemadmodum si quis Regiæ imaginis pulchræ, ex preciosis lapidibus fabricatæ à sapiente artifice, subiectam hominis formam soluat, & lapillos illos transferat & accommodet, ac faciat formam canis aut vulpeculæ, atque hanc malè fabricatam deinde præscribat ac dicat, hanc esse Regis imaginem illam pulchram quam sapiens artifex fabricavit, ostendens lapillos illos à primo artifice probè in Regis imaginem compositos; verùm malè à posteriore in canis formam translatos, & per lapillorum apparentiam seducat imperitiores, qui Regiæ for-

me notionē non habent; & persuadent, quod hæc putrida vulpeculæ forma sit pulchra illa Regis imago. Ad eundem sanè modū etiam hi anicularum fabulas consuētes, deinde verba, dictiones, & parabolas vndecunq; detrahentes, adaptare volunt fabulamentis suis eloquia Dei. Hęc Ireneus: In finitissimis locis scripturæ, minorē filiū patre iactitabat se demonstrare posse Arrius: Nestori⁹ sacrā scripturā se primum, & solū intellexisse, & oēs illos ignorasse, quicunq; ante se magisterij munere præditi diuina eloq̄a tractassent, falso solebat dicere. Ita vt Tertullianus alicubi propter eū impudentē sacrarū scripturarū abusum, Euāgeliū rem sanctissimā librū hæreticorū appellare non dubitauit. Abunde hoc idem docet nostra ætas, quę cū in sexcentas scissa sit hæreses, in sexcenta schismata, quæ tamen omnia vera esse nō possunt, cū vna sit & simplex veritatis via: nulla tamen est, quę non suum sacræ scripturæ testimonijs tucatur errorem. Et eò magis, quò absurdior, quò exitiosior est: quod in

Anabaptistis Arrianisq̄ue videre licet. Hic igitur est peculiaris Pseudo-prophetarum vestitus, hæc mollia vellera. Non ieiunat quis, lupus est: *Matth. 15.* vestitus autem ouium ille: Nō quod intrat per os coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem. Non orat quis, hic lupus est, vestitus autem: orantes nolite multum loqui. *Matth. 6.* Non vult quis subesse magistratui; lupus est: vestitus autem ouium: Obedire oportet DEO magis quàm hominibus. *Act. 5.* Confiteri peccata erubescit quis, lupus est. vestitus autem ouium: Delicta quis intelligit? Continentiæ quis rumpit vota; lupus est: vestimētum autem ouium: *Matth. 19.* Non omnes capiūt verbum hoc. Nō reddit quæ sunt Cæsaris Cæsari, quæ Dei Deo, lupus est: vestitus autem ouium; Gratis habetis, gratis dare. *Matth. 10.* Baptismum iterat, lupus est; vestis autem ouilis; Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Minorem patre filium improbè & maliciosè iactat, *Marc. 16.* lupus est; vestimentum autem; Pater maior me est. *Ioan. 14.* In nulla parte virtutis &

& honesti se exercet, lupus est; vestimentum autem; Arbitramur hominem iustificari fide sine operibus. *Rom. 3.* Pulsat quis pauperes, damnat innocuos, expilat vicos & oppida, peregrinos, & mercatores mercibus exspoliatur; lupus est; vestitus autem ouium; Si impius egerit poenitentiam, &c. *Ezech. 18.* Misericordiae Domini multae, sed & cruce scelerum plurimae. Hae sunt vestimenta Pseudoprophetarum, in quibus ad nos veniunt, intus autem sunt lupi rapaces. Neque autem ideò sacra scriptura, aut accusanda, aut reiicienda est; neque ob id ad omnes errores conficiendos, omnemque Christianam doctrinam stabiliendam, illa minus utendum erit, quod ea haeretici peruersè abutantur; Sed quemadmodum oves non eam ob causam vellera sua abijciunt, quod illis aliquando lupi induti conspiciantur; quin eò magis ea tuentur, atque ab omni luporum iniuria defendunt; ita etiam non ob id sacra scriptura abijcienda erit, quod haeretici ea ad suum & aliorum exitium malè utantur; sed eò studiosius tra-

ctanda, eiusque veri ac synceri sensus
 peruestigandi. Hoc tamen sciendum
 est, sub hoc vestitu lupum aliquando
 delitescere posse: neq; statim, vt quis
 aliquot sacræ scripturæ loca appella-
 re potest, eum sequendum esse; cum
 hic communis æquè lupis ac ouibus,
 vestitus esse possit. In quo genere dia-
 bolus, hæc nostra tempora ita fasci-
 nauit, vt nemo tam absurda docere
 possit, modò Paulum vel Ioannem
 laudet; vt nō statim quintus quidam
 Euangelista esse censeatur. Et hæc qui-
 dem sunt vestimenta ouium. Atten-
 dite igitur vobis à falsis Prophetis,
 qui veniunt ad vos in vestimentis ou-
 uium, intrinsecus autem sunt lupi ra-
 paces. Quomodo autem falsi Prophe-
 te à veris dignoscendi sint, quando-
 quidem sacræ scripturæ allegatione
 non cognoscuntur, statim adiungit:
 Ex fructibus, inquit, eorum cognos-
 cetis eos. Qui igitur sunt fructus isti?
 non idem sentiunt omnes, & res ipsa
 subobscurior est. Nostri temporis he-
 retici, sed & veteres referente Augu-
 stino, auaritiam, ambitionem, si-

Super 10.
 Psalmam.

MO-

moniam, luxum, vsuram, adulteria, ebrietatem, ac reliqua quæ carnem consequuntur vitia, eos fructus interpretantur: quibus cum Ecclesiasticum Clerum planè diffuere isti viderent, inde populo persuadere conati sunt: Clerum Ecclesiasticum falsos Prophetas esse, ex his fructibus cognoscendos. Fuit hoc ad vulgus, in cuius oculos tot & tanta nostrorum incurrebant vitia, argumentum maximè accommodatum: his talibus rebus tanta irretita est hominum turba: plausibile sanè argumentum: dolendumque est Christiani mei, vobisque inprimis sacerdotes, vos tantum contra ordinem vestrum erexisse firmamentum, illiusque vim in dies magis ac magis immensa cupiditate, ambitioneque vestra augere. Hos tamen non esse germanos fructus, ex quibus veri à falsis dignosci Prophetæ possint, hinc facile perspicitur: partim quod vitia hæc, cum hypocrisi maximè pugnant patent enim, & in oculos hominum incurrunt, nec benè cum vestitu ouium conueniunt. Nemo vnquã

Arri-

Arrio, nemo Photino adulterium, nemo ebrietatem obiecit; facile ab his cauent illi, qui nocentiora venena ferunt; partim quos labe istæ omnium sunt temporum; siue hæreses vigeant, siue omninò sint nullæ. Quod enim vnquam tempus adeò felix, adeò beatum fuit, quo his nãuis Resp. Christiana caruerit? Itaq; fructus potius carnis, quàm hæreseos, hæc vitia, scriptura nominare solet. Manifesta sunt inquit Paulus, opera carnis; quæ sunt fornicatio, immunditia, &c. in quibus & ipsam recenset hæresim. Abundarunt hoc genere vitiorum veteris legis Pontifices & Sacerdotes; nusquam tamen eos scriptura, nusquam ipse Christus Dominus, in falsorum Prophetarum censum retulit; Caiphas Simoniacus Sacerdos, futura tamen verè prædicit; Quid Iudas Scariotes? sed & ipsum Petrum reprehensibilem fuisse legimus; Verùm hæc sublata iam esse videtur controuersia; Ita enim isti, cum plerisque ex nostris in pari lance maliciæ constiterunt; æquè improbi, æquè sunt vitiosi, vt

pos-

Gal. 5.

Paulus ad
Gal. 5.

possint rectè inter se alea iacere vter
melior. Itaque & ipsi non valdè hunc
locum vrgent. cùm presertim illo ma-
nifestissimo CHristi testimonio con-
uincantur; Super Cathedram Mosi se. *Matth. 23.*
derunt Scribæ & Pharisei; omnia er-
go quęcunque dixerint vobis, seruate
& facite; secundum autem opera illo-
rum, nolite facere. Vel ipsis ergo Au-
thoribus, magis proprium, magis quę
peculiare quid, quærendum erit. Fru-
ctus igitur hæreseos tales esse debent,
qualis est ipsa hæresis; quæ cùm non
ad vnus hominis exitium, sed ad to-
tius corporis CHristi labefactatio-
nem comparata sit; fructus etiam ei-
illi erunt, non qui singulis noceant,
sed qui ad totius corporis CHristi,
quæ est Ecclesia Dei, ruinam & deso-
lationem referantur; fructus enim ra-
dici respondere debent; radix totum
inficit corpus; fructus igitur similes
quærendi. In quibus recensendis non
abutar vestris auribus, nihilq; ex meo
priuato adferam sensu; quos ipsa scri-
ptura sacra, quos Principes Apосто-
lorum recensent hos proponā, quos
illi

illi non obiter neque aliud agentes, sed studiosè, & ex instituto, Spiritus Dei instinctu, admirabili rerum futurarum prænotione explicant, ita vt hos vel negare vel impugnare nemo possit, nisi qui manifestè Apostolis ipsis detrahere velit, illisq; fidem adhibere nolit. Fuerunt, inquit Petrus, Pseudoprophetæ in populo, sicut & in vobis erūt magistri mendaces, qui introducēt sectas perditionis, & eum qui emit eos Dominum negabunt, superducentes sibi celerem perditionem: & multi sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur: & in auaritia, fictis verbis de vobis negociabuntur: quibus iudicium iam olim non cessat, & perditio eorum non dormitat. Qui quo tandem modo cognoscantur, iisdem ferè verbis cum Iuda Apostolo, eos suis verissimis depingit coloribus, ac ex quibus fructibus dignosci possint abundè docet.

*Epist. Petri
2. cap. 2.*

*Iudas in sua
epist.*

Quorum primum his verbis explicat: Dominationem, inquit, continent, maiestatem autem blasphemant:

mant: Vt enim primus Apostata & hæreticus Lucifer, nimia arrogantia, contra Deum elatus, omnipotentis Dei dominationem spreuit, dum ei par per omnia esse vult, simulque maiestatem eius blasphemauit, cum inquit: Ponam sedem meam in Aquilone, & ero similis altissimo; sic vniuersa eius propago, schismatici & hæretici, non illam primam & principem solum, sed etiã hanc secundam & vicariam potestatem spernunt, maiestatem blasphemant.

Nunquam Martinus, nunquam Calvinus, Pontificem Romanum, cuius Cathedram Apostolicam sedem, omnis antiquitas sanctissime appellauit, & venerata est, nisi Antichristum; nunquam Pontifices, nisi monstra & portenta: nunquam Sacerdotes, nisi ministros & vasa diaboli: nunquam Reges & Principes Catholicos, nisi Pharaones, Tyrannos, & libertatis publicæ oppressores, appellare solent: scripta illorum testantur: res negari non potest. Et cum authoramentum maiestatis lex
sit.

fit, leges enim vos Principes, magnos & admirabiles faciunt; omnisque hæc vestra dignitas, & auctoritas ex legibus, tanquam firmissimo præsidio pendet; idem legum qui & maiestatis hostes sunt. Hinc illa Ecclesiasticarum primū, deinde ciuiliū legum & sanctionum abrogatio; hinc patrum consuetudinum immutatio, legibus enim integris & fartis tectis conseruatis, nequaquam neque dominationem contemnere, neque maiestatem conuicijs proscindere, impunè auderent; quinimò his stantibus & vigentibus ipsi nullo modo stare, nec sese diutius tueri possent. Primus itaque fructus hæreseos hic est, dominationis & maiestatis diminutio, legum autem antiquarum abrogatio, omnisque moris veteris extinctio. Quis hæc docet? Petrus atque Iudas; duo Apostolici Collegij amplissima lumina; Dominationem, inquit, contemnunt, maiestatem autem blasphemant.

Secundus eius labis qui ex hoc primo nascitur fructus, est inobedientia.

Liber.

Libertatem, inquit Petrus, promittentes, cum ipsi serui sint corruptionis, à quo enim quis superatus est, huius & seruus est. Et sanctus Iudas; Væ væ, inquit, qui in contradictione Core abierunt, quam contradictionem sic Moyses exponit: Core, Dathan & Abiron, Leuitici generis fratres, qui ad figendum deportandumque tabernaculum, ac reliqua minutiora cultus diuini munera, erant destinati, Moysse & Aarone Principibus sacrorum, & Reipub. spretis, in munus & officium Sacerdotale sese temerè ingesserant. Misit igitur Moyses, vt vocaret Dathan & Abiron, filios Eliab. qui responderunt, non veniem⁹ &c. Iratusque Moyses, dixit ad Dominum. Ne respicias domine Sacrificia eorum: tu scis quod nec a sellum quidem vnquam acceperim ab eis, nec afflixerim aliquem eorum. Contradictio igitur Core. inobedientia est, affectata libertas est, ac non expectata legitima vocatione, in alieni muneris functionem temeraria inuasio; quæ ex magistratus æstimatione

R ne le-

ne leuissima nascitur. Qui fructus, an nostra ætate satis superque his magistris & Doctoribus non refloruit? Iubet quid vniuersalis legitime congregata Synodus, reclamatur populus, non faciemus. Iubet Sacerdos: reclamatur laicus, non faciemus. Mandat Rex; itidem subditi, non faciemus. Mandat Dux belli: eodem modo miles, non faciam. Ab his autem maioribus ad minora est profectum; vt neque seruus domino, nec filius patri, neque vxor viro, nec discipulus officinæ magistro, aut parere aut subesse velit: sed omnes id faciunt, quod bonum in oculis suis esse videtur. Quæ frequens hæc vox auditur; non faciemus, non veniemus, ipsi videtis. Malæ igitur arboris hic est secundus deterior fructus, qui ex legum magistratusque contemptu exoritur.

Tertius autem ille; Nubes, inquit, sine aqua, nebulæ turbinibus exagitata, quæ à ventis circumferuntur, fluctus feri maris, despumantes suas confusiones; sydera errantia, quibus procella tenebrarum seruata est in æter-

æternum; Quæ nihil aliud designant, quam omnē tam Politici, quā Ecclesiastici ordinis cōfusionē; Quid enim nubib⁹ vacuis magis inordinatū? qd fluctibus maris p̄cellosi magis incōpositum? quid nebulis? quid ipsis sideribus errantibus, quę nūc huc, nūc illuc temerē feruntur, magis incertū? Sequitur aut̄ naturæ ordine illos duos hic tertius fructus. Vbi. n. nulla est obedientia, vbi nulla maioris & minoris ratio & differētia, vbi superioris & inferioris nulla cōparatio; ibi nullus certus ordo, nullus certus cōcentus sit oportet. Ex summis. n. & infimis, & medijs, moderata ratione interiectis, omnis emanat ordo, omnis Reip. concentus; qui vbi non est, ibi omnia incerta, omnia vaga, omnia fluctuantia sunt, infinitisque procellis & rēpestatibus agitata aguntur & feruntur; quod inter hæreticos manifestē fieri videmus oēs apud istos Pontifices, oēs sacerdotes, oēs Reges oēs belli Duces, omnes Doctores, omnes denique omnia censeri volūt. Qua enim ratiōe iuris & ordinis

æquabilitatem inter se conseruabūt illi, qui sibi mutui sceleris conscij sunt? qui omnes ex æquo ab eo quod legitimum, quod cum veteri lege & more coniunctum est, recesserunt? quibus propria libido præest ac dominatur. In rerum igitur omnium confusione, quem tu ordinem inuenias?

Quem fructum ille quartus, vi & natura consequitur sua, quem idem explicat Petrus; audaces, inquit, sibi placentes, sectas nō metuunt introducere. Iudas autem: Murmuratores & queruli, secundum desideria sua ambulantes, os eorum loquitur superbiam, qui se ipsos segregant, id autem est, factionum, & dissensionum sunt auctores, pacis verò & publicæ tranquillitatis perturbatores. Pax enim, vt doctissimis placet, nihil aliud est, quàm tranquillitas quædã ordinis. Vbi igitur nullus est ordo, sed potius omnis ordinis peruersio; ibi pax nullo modo esse potest; rixæ, factiones, dissensiones, in mutuum exitium, conspirationes, domestici
tumul-

tumultus, bellaque ciuilia, quibus nunc orbem terrarum ardere videmus, occupant omnia. Nobis verò inter nos dimicantibus, ac vires mutuas atterentibus, & veluti in vtero vnius matris more Iacob & Esau colluctantibus: contra hostes Reipublicæ Christianæ, nihil præclarum geritur, opes Saracenicæ indies crescunt; Vrbes, Regna, Insulæ in eorum potestatem succedunt, nihil nostrum vel ioco concupierunt vnquã, quod seriò non obtinerent: Dum nos pro scholæ quæstionibus, quarum finis nullus est decertamus, qui pro Regnis & populis Iesu Christi sanguine quæsitis pugnare debebamus. Quid enim ab eo tempore ex quo hæc labe Rempubicam Christianam occupauit, præclarè contra hostem nominis Iesu Christi actum est? quid illius Regno quæsitum? quid laudis & nominis gestum? omnia ruunt & retro collapsa referuntur, omnis virtus Christiana conticuit; sexcentæ licet fiant inter nos confœderationes, sexcentæ compositiones: pax tamen nõ

R 3 est,

est, nec erit vnquam: pax enim tranquillitas est ordinis: quæ vbi non est, nulla item pax erit, ipsa naturæ vi & æquitate ita concludente. Multum quidem valent humanæ sanctiones, multum leges; naturam tamen rerū inuertere & immutare non possunt.

Isa. 48. 57. Non est pax impijs, dicit dominus: Impij tanquam mare feruens, quod nunquam quiescere potest. Ita qui pacem inter hæreticos, vel cum hæreticis facere velit, nihil aliud agit, quam arenam, vt Irenæus dicere solebat, sine temperamento glutinat, quæ nunquam natura sua cohæret, nunquam diu in vnitatis vinculo

Lib. 5. cap. 2. permanere potest; Neminem enim pacem suam tenere posse, qui pacem Dei repudiauit, præclare dixit Hege-
sippus.

Obstat enim & impedit ille quintus, qui hos sequitur exitiosus fructus: Væ illis, qui in via Cain abierunt, & in errore Balaam mercede effusi sunt, secuti viam Balaam ex Bosor. Via Cain, summum quoddam & irrecõciliabile odium, ex inuidia natum,
omnem.

omnemque fraternæ charitatis abolitionem designat. Via Balaam, populi Dei ejusque castrorum infestationem, ac omni genere conuicij & maledicti proscissionem. Habet enim hæresis insitum quoddam & peculiare ab alijs omnibus disinctum, contra illos, qui cum eis non sentiunt irreconciliabile odium, quod etsi ad tempus supprimi & dissimulari potest, funditus tamen & radicitus euelli non potest, sed quo diutius premittitur, eo exitiosius erumpere solet; magna lis, magnus zelus est religionis. Quærit Iosephus, quæ causa fuerit, cur cum reliquæ omnes gentes, in aliquam societatis vnionem, cum alijs nationibus venirent: Judæi soli nullam vnquam firmam & constantem amicitiam cum ceteris gentibus coluerunt. Reddit non aliam rationem, quã eã ipsã disparitatẽ, & dissimilitudinẽ cultus & religionis, odiũque inde manat implacabile, cũ illi vnũ solũ, cæteri infinitos coluerint Deos. Demõstrat hoc idẽ Dionysius Areopagita, vix non Geometrica demon-

Iosephus contra Apionem

De diuinis nominibus. cap. 3.

stratione. Vt, inquit: Lineæ quanto remotius à centro discedunt, & numeri ab vnitatem quanto magis distāt, tanto etiam plus ab inuicem separātur, maioreque interuallo absunt; sic homines quo magis à Deo, qui est rerum omnium primum principiū & centrum, omnisque vnionis fons & origo, veraque de illo opinione discedunt, eo magis à seipsis distant ac seiunguntur. Non potest, inquit

*Bernar. li. 5.
de cōsiderat.*

Bernardus, Deo esse cōtrarium quid, & sibi met cohærere, aut secum, consentire; Nihil ibi in commune consulitur, nihil ad omnium salutem refertur, nulla totius corporis suscipitur cura; hoc solum vtile est quod alteri nocet, ex alieno incommodo sua quisque sibi parat cōmoda. Nunquam pacem & concordiam illa Respublica speret; quæcunque dispares & pugnantes hæreses semel intra sua susceperit viscera; frustra impossibilia tentantur, quod nunquam in eo decursu sæculorum fuit: nunc certè quomodo fieri possit, non video.

Sextus fructus eius morbi ab iisdē
Aposto-

Apostolis explicatur; Hi autem quæcunque quidem ignorant, blasphemant; quæcunque autem naturaliter tanquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur: Quod nemo alius præter hæreticos facit: nam Philosophi & si nobiscum non sentiunt, nostra tamen conuicijs & maledictis non conscindunt. Ita sint duo; Alter Philosophus quis, Auerroem vel Auicennam sequutus; Alter hæreticus, vterque Deum vnum & trinum non agno scit, vterque Christum ex virgine natū negat; vterq sub specie panis & vini, verum corpus & sanguinem Christi contineri nullo modo credit: Hoc tamen inter vtrumque interest, quod alter argumentis contentus, non amplius progreditur, alter vltra argumenta nephandis blasphemijs omnia inquinat, orania cōplet. Quæ enim & qualia in Dei filium, quæ in virginem sanctam, quæ in sacramenta, diuina Symbola, maledicta conferant; ea, & dicere, & audire, homini pudenti piaculum est: longè certe acerbius quàm illi, si fi-

Heu. 49.

lius Dei est descendat de cruce: vt rectè de illis illud dicere possis, Maledictus furor eorum quia pertinax, & indignatio eorum dura: Non intret anima mea in consilium eorum, & in cœtu eorum non sit gloria mea. Nec satis est ipsos ita petulantes, & maledicos esse, hacque ratione æterni Regis maiestatem lædere, sed illud etiam efficiunt, vt nomen excelsum Dei, nomen Iesu Christi, eiusque Sacrosanctæ religionis, blasphemetur vbiq; in gentibus, & per quos, inquit Diuus Petrus, via veritatis blasphematur. Quis enim ex his q̄ foris sunt, eam religionem admiretur, quis laudet & suspiciat, & non potius contemnat ac derideat, quę in tot hæreses, in tot dissidentia schismata sit distracta, & quæ de suis sacris tam malitiosè, tam petulanter, tã impudicè sentiat & loquatur. Non modo igitur ad lumen veritatis infideles his istorum moribus non redeunt, sed magis in suo errore tenebrisque confirmantur. Ad quos enim potius in tanta sententiarum varietate se conferant,

ferant, aut quomodo illos sequantur qui ipsi vbi certò defigant pedem nō habent. Ita vt planè portas salutis omnibus gentibus, sectis ac diffidijs nostris, vita & moribus inquietis & dissidentibus, obstruere videamur. Et vt quondam Pilatus tradidit Christum cohorti ad illudendum, conspuendum, flagellandum, ac omnibus contumelijs diuexandum: ita nunc hæreseon ac schismatum magistri, eundem Christum, eiusque vnicam sponsam Ecclesiam exponunt iisdem gentibus, vt denuo flagelletur, conspuatur, ac varijs probris contumelijsque ipsi illudatur, nullo vnquam tantum scelus dignè expiaturi æuo. Assume domine zelum pro spōsa tua, & pro nomine sancto tuo.

Septimum mali seminis germen illud est, gratiam Domini nostri Iesu Christi transferre in luxuriam quod idem docent Apostoli. Subintraerunt enim quidā hoēs, qui olim perscripti sunt in hoc iudiciū impij, domini nostri gratiā trāsferētes in luxuriā, delicijs affluentes, in cōiuijs suis
lux.

luxuriantes vobiscum . Vt enim veterator ille paradisi serpens , eam ipsam prolixam & liberalem munificentissimi parentis beneficentiam , qua in omni honestæ voluptatis & deliciarum genere primos nostros constituerat parentes , in exitialem transferre voluit insolentiam : ita vt nimia petulantia & cupiditate , eius suasu cōtra parentem suum elati , Dij plane effici voluerint : Sic isti crucis Iesu Christi , vulnerumque eius , mortis & sanguinis liberalissimè in precium & ablutioem totius mundi in ara crucis effusi , gratiam volunt transferre in luxuriam : non tanquã exemplū imitationis crucem & mortem Christi habentes , sed quasi velamen maliciæ prētendentes , vt dicebat Petrus . Quod ne fiat , diligentissimè suos monet Galatas Paulus : Vos in libertatem vocati estis fratres , tantum , ne libertatem in occasionem carnis detis . Laudent quantum velint in primis suis initijs Hæretici , omnem vitæ continentiam & sanctimoniam , Catharos Angelicos , Apostoli-

1. Pet. 2.

ad Gal. 5.

stolicos Apotacticos; id est, selectos more veterum Gnosticorum, Marcionistarum, Valentinianorum, sese ambitiosè appellent; ad vltimum tamen, omnem Dei gratiam transferunt in luxuriam. Notum est, in quã foedas ac planè infandas libidines, prioris sæculi Hæretici ad extremum præcipitabantur; sed & nostri, ieiunia primum, vigiliis, cilicia, humi cubationes sustulerūt; virginitatem tanquam rem Deo & naturæ aduersam & inimicam, reiecerunt: claustra Monasteriorum, ac vota suscepta pudiciæ, perfregerūt, Polygamiã laudarunt: vltimò, Adamismus quidam turpis & nefarius introductus est. Sic Hæresis, gratiam Dei transfert in luxuriam.

Octaua demum eius pestis labes est, perpetuus in deterius profectus. Hunc fructum Paulus ad Timotheũ scribens, sic explicat: Semper, inquit, discentes, & nunquam ad perfectio-
2. Tim. 2.
 nem cognitionis peruenientes. Mali autem homines, & seductores, proficient in peius: errantes, & alios in errorem,

2. Tim. 8.

errantes, & in alios in errorem inducentes. Et paulò post; Iniquitas autè eorum proficit in peius, quorum sermo serpit tãquam cancer. Mille quingentis septuaginta octo annis, res Christiana in dispensatione potestatis à Deo ordinatæ, inter tot persecutionū fluctus, inter tot feri ingenij & linguæ impugnationes; inter tot hèreses & schismata, integra & intemerata māsit; Articuli fidei, Sacramētōrū dispensatio, Libri sacri, eorumque interpretes, Canones, Concilia, Patres, Cæremoniæ, Sacra, Ordines, Ordinumque functiones, incorrupta immutataque durant. Sexagesimus vix intercessit annus, ex quo isti noui dispensatores in eam inuaserunt possessionem; & iam vix reliquias ei⁹, quod à nobis acceperunt, depositi, tuentur. Sic prophanata, sic conculcata iacēt omnia, dum hoc anno eam inficiunt religionis partem, alio aliam, & iterum aliam, donec totum fidei & pietatis corpus hic lethalis absumat Cancer. Vnde cœptum sit videtis, & quo profectum. Quorsum illa
 aqua

aqua lustralis, quorsum euaserūt Indulgentiæ, auctores ipsi vix sua recognoscunt dogmata. Neque verò in peius proficiunt tantum, sed in quo maximè admirari licet; summam diuinæ potentæ vim, in hominum malicia & curiositate vindicanda, planè in contrarium reciderunt sensum. Quantum fidei dignitatem & amplitudinem, supra quam etiam necesse fuit, extulerint, nemo est qui ignoret. Nunc ipsi, vel penitus nihil credunt, vel in omni parte fidei sensum & experimentum quærunt; suntque nonnulli, qui in solis bonis operibus cum Pelagianis, totam salutis rationem putant repositam esse: Verbum Dei, Euangelia, Paulique scripta, quibus laudibus in cœlum sustulerant, scimus; nihil detrahendum, nihil apponendum esse, quam sanctè & religiosè cauebant. Nunc Moyses multis placet; Christus, eiusque Euangelium, displicet; nouum Testamentum, recens quoddam & nuper excogitatum opus esse videtur: nō multorum, aut temporū, aut hominum

minum auctoritate comprobatum; veterem legem, & antiquitate, & iudicio omniũ gentium plurimum valere, quomodo omnes illi sentiunt, qui noui Iudaisantes dicuntur.

Quid de Sacramentorum vi, integritate, veritate, sanctitate, frequentivsu, quam præclara, vt quidem videbantur quondam, tradebant. Nunc, vel nuda quædam & egena elementa esse putant, vel illis penitus non vtuntur. Maledictum illum esse clamitabant; qui confideret in homine, qui uic carnem poneret brachium suum; Nunc ipsi nudum & simplicem hominem Iesum Christum, vt quidem illi impiè blasphemant, grauissimo idolatriæ delicto obnoxij, colunt & venerantur. Totum certamē, pro gloria, laude, maiestate Iesu Christi, se suscipisse profitebantur. Nos hostes & proditores cultus ac nominis eius, tertio quoque appellabant verbo. Nunc illum quem Pater glorificauit, & in quo summam splendoris gloriæ suæ collocatam esse voluit; ita, vt qui non honorificet Filium,
non

non honorificet & patrem, infra Angelicam etiam constituunt sortem, ac ne ex virgine quidem natum, Machometanis in ea parte deteriores, confiteri volunt: sic facta sunt illis, iuxta prædictionem Petri, posteriora deteriora prioribus. Quàm dissimilia & pugnancia vltima primis, videtis: quæ tamen omnia eò puentura, iam tum à principio illis à Catholicis viris ad vnguem planè prædicabantur. Vnde igitur tãta mentis cœcitas? unde hæc amentia? Descendit Dominus, & cõfundit linguas & sensus eorum, vt non audiat vnusquisq; vocem proximi sui; ac ne suã quidem, quam primò constanter tuebatur, & pro qua fortissimè decertabat. Docet S. scriptura, singulis Ecclesijs, singulos Angelos ad earum regimen & gubernationem, ac custodiam, præfectos esse: quas vbi iusta & æqua voluntate Dei, peccatisque hominum, deseruerint; eas omnibus ignitis telis spiritualium potestatem patere, ac ex errore in errorem prolabi; quos hæresibus ac schismatibus fugari, ipsasque Eccle-

fias relinquere, testis est grauiſſimus
 auctor Hieronimus: quod noſtris i-
 ſtis eueniſſe, dubitandum non eſt. Ve-
 rē igitur ſermo illorum ſerpit tanquā
 Cancer: errorque in principio par-
 uus, in exitu infinitis partibus creſcit,
 nec primum conſiſtet, quam res ad
 eos redierit, quibus dictum eſt: Qui
 vos audit, me audit: qui vos ſpernit,
 me ſpernit. Et qui illud verē uſurpare
 poſſint: Sic nos exiſtinet homine
 miniſtros Dei, & diſpensatores my-
 ſteriorum Dei.

Ex quo malo peſſimi profectus, a-
 lia miſerabilis & funeſta naſcitur ca-
 lamitas: conſcientiæ ſcilicet pertur-
 batio, & inconstantia mentis; qui eſt
 nouus hereseos fructus, Cauteriatam
 inquit Paulus habentes conſcienti-
 am; perplexitatē quandam, & fluctu-
 ationem, denotans conſcientiæ. Dū
 enim anim⁹, in eo quod maximū eſt,
 & in quo vitæ & ſœlicitatis ſūma cō-
 ſtitit, nullū certū modū, nullū optatū
 inuenit exitū; ac p̄ tuto portu, in ma-
 iores aſtus, maioraque naufragia, ſe
 indies deportari uidet; nec uſquam
 tam

tam firmiter agit pedem, quin nouis fluctibus argumentorum inde non exturbetur: dici non potest, quantum commoueri & perturbari solet, quantum indignari & planè irasci: nullum mare tantis fluctibus, quantum hic animus cogitationibus estuare ac fluctuare solet. Hinc macies, hinc pallor, inedia: hinc vigiliæ, & nocturnæ excitatiões; hinc in via, in balneo, ad mensam, in lecto, disceptationes, ac perpetuus ad easdem cogitationes, recursus: hinc leui ex causa maximæ offensiones, & scandala; hinc repetitæ cōsultationes, cōuētus, & synodi hinc vitæ & lucis tædiū: hinc spontaneæ sibi manuum illationes; hinc aliæ infinitæ cruces. Cauteriatō enim membro, nulla quies. Ex qua animi ac conscientia ægrimonia, exoritur metus quidam & trepidatio; vt metuāt vbi non est timor: fugiant nullo persequēte. Virtutis .n. viri fundamētū, recta cōsciētia est. Probatū est hoc nupaliquoties apud nos, his proximis Tartaricis incursionibus; quid actū,

quomodo trepidatum sit, scitis. Non factitarunt hæc maiores nostri, quibus certa & explorata fuit pietatis & religionis suæ ratio: qui non nisi cum dijs, vt aiunt, & sacris, bona conscientia, pro fortissimo clypeo tecti, in aciem & certamina descendere solebāt. Quanquam autem hi conscientiaē tumult⁹ in omni illos perturbent vita, maximè tamen in morte excitantur, cōtrarijs argumentis in vtramq; partem colluctantibus, assensu fluctuante, Diabolo tunc omnia in immensum augente; ita, vt vix centesimum æquo animo mori videas. Quam eorum miserabilem conditionem, Vincentius Lirinensis ante mille annos disertè in hunc modum deplorat; Et perire metuūt, & redire erubescunt, faucij, semineces, semiuiui; quippè qui tantam veneni hauserint quantitātē, quæ nec occidat, nec digeratur, nec mori cogat, nec viuere sinat. Heu miseranda conditio, quantis illi curarum æstibus, quātis turbinibus exagitantur. Nunc etenim qua ventus impulerit, incitato errore rapiuntur:

nunc

Vincent. Lirinensis lib. de hæresibus cap. 25.

nunc in semetipsos reuerſi, tanquam contrarij fluctus reliduntur: nunc temeraria præſumptione, ea quæ incerta videntur, approbant: nunc irrationali metu, etiam quæ certa ſunt, expaueſcunt: incerti quæ eant, quæ redeant; quid appetant, quid fugiant, quid teneant, quid dimittant. Quæ quidem dubij & malè penduli cordis afflictio, diuinæ erga ſe miſerationis eſt medicina, ſi ſapiant. Idcirco etenim extra tutiſſimum Catholicæ fidei portum, diuerſis cogitationum quatiuntur, verberantur, ac penè necantur procellis; vt excuſſa in altum, clatæ mentis vela deponant, quæ malè nouitatum ventis expanderant, ſeſeque intra fidiffimã ſtationem placidæ ac bonæ matris reducant & teneant, atque amaroſ illos turbulentosque errorum fluctus primitus reuomant, vt poſſint deinceps viuæ & ſalientis aquæ fluentia potare. Dediscant benè, quod didicerunt non benè. & ex toto Eccleſiæ dogmate, quod intellectu capi pot eſt, capiant; quod non poteſt, credãſ. Hæc ille.

*Petr. Epif.
2. cap. 2.*

Sequitur decimus ille lethalis radicis, lethalior fructus; religionis vniuersæ, cultusque diuini ruina, vltimumque exitium. Quem D. Petrus illis innuit verbis; Venient, inquit, in nouissimis diebus in deceptione illutores, iuxta proprias concupiscentias ambulantes, dicentes; Vbi est promissio, aut aduētus eius? ex quo enim Patres dormierunt, omnia sic perseuerant ab initio creaturæ. Quod quidem & res ipsa id ita esse, nulla confirmante scriptura, demonstrat. Cùm enim vniuersa fides ac religio Christiana, neque demonstratione nitatur, neque sensui subiecta sit; sed sola fide, consensu, auctoritateque constet; his sublati, aut saltē labefactati, omnem religionem auferri oportet. Hac potissimū ratione versatur quis inter Catholicos, habet argumenta, habet scripturas; confert se item ad Sacramentarios, eadem omnia; item ad Anabaptistas, non infirmiora; ad Trinitarios, Arrianosque eodem modo. Quæ omnia, ex iisdem sacræ scripturæ ipsiusque rationis fontibus petita cum

cum animus infirmus & cauteriatus digerere non possit, magna vnde quaque pondera rerum & personarū dū videt, omnia simul cum summo acerbatis dolore euomit, vniuersamque abnegat fidem, ipsoque infideli efficitur deterior: Qualem nunc non vnū & alterum, sed plenos eorū inter nos videmus versari greges: qui illud iam confiteri non erubescunt, id quod in religione sequi debeant plane ignorare, omnia hæc quæ verissima esse putabant, falsa & conficta esse; religionis & pietatis nihil præter speciosum nomen & titulum existere Et hæc quidem plurimi propalam, alij autem qui paulò moderatiores prudentioresque sunt, cum publicè id affirmare non audeant, in corde tamen suo illud cum impijs occinunt, Non est Deus, quorum numerus & multitudo etsi soli Deo cognita sunt, esse tamē quamplurimos, vita & mores hominū corruptissimi testantur. Euenerat hoc in Philosophia quondā. Dum .n. Reges ac maximi quique hoēs philosophabantur, grauius tunc & serid

omnes explicabantur Philosophiæ partes; nihilq; affirmabatur, nisi quod ex ipsius naturæ principijs, ac planè visceribus, depromeretur. At, posteaquàm Philosophia ad homines egentes, vanos, ostentationique deditos, translata esset, qui eius finem lucrum potius & questum, inanemque gloriam, quàm veritatem sibi proponebant; tunc omnia ad nugas quasdam & ineptias, incredibiliaque paradoxa translata sunt: quibus stultæ plebeculæ, illi ambitiosi magistri admirabiles videri voluerunt. Hinc illa omnia vnum esse, cœlum in ppetua quiete manere, terram autem incitato cursu agitari, motum in rerum natura existere nullum; hinc niuem nigrâ, & quid non? Quibus altercationibus eò res deducta fuit, vt nihil certò sciri aut affirmari posse existimaretur, illique sapiētissimi iudicati sunt, qui nihil se nec magnum, nec paruum, scire profitebantur. Talis Socrates, talis Carneades fuit. Philosophi ipsi ex urbibus & ciuitatibus eam ob causam eiec̄ti, planeque tota ruisset Philosophia,

phia, nisi illa duo sapientiae lumina, Plato & Aristoteles, rem planè collapsam seriò philosophando restituisent. Sic nimium altercando, omnis amittitur veritas.

Vltimus est ille, qui hæc omnia ob-
signat mala, tam exitiosi portenti fru-
ctus, vocata in dubium re omnium
maxima & sanctissima religione; le-
ges item, moresque antiquos, virtu-
tem, omneque honestum, in dubium
vocari, hominum potius hæc institu-
to & opinione, quam vi & natura sua
constare; sicque omnis honesti rectæ-
que rationis habenis solutis, omniq;
disciplina sublata, à virtute ad vitia,
non iam pedetentim & lento gradu,
sed præcipiti cursu disceditur; sic om-
nis honesti alea iacitur. Nam vt firmæ
& constantis de religione opinionis
omnis ordo, virtus, & honestas, inse-
parabilis & perpetuus comes est, qua-
rum rerum illa mater, nutrix, & cer-
tissimus custos existit; quarum mu-
nera & præmia secum portat; quibus
item maximum decus addit, sum-
mamque facit fidem & authoritatem.

Sic vera & constanti religione perturbata, aut penitus ex aliqua republica sublata, ac in perpetuum exilium acta: comites eius, virtutem, honestatem, disciplinam legum, atque magistratum authoritatem, excludi necesse est. Quid enim illum animum potissimum mouebit, quem metus numinis diuini omnia perspicaci suo oculo intuentis non mouet, aut quid apud illum magnum erit, apud quem ea quæ maxima & sanctissima natura sua sunt, momentum habent nullum. Hi sunt igitur illi, quos quærebamus, hæreseos proprii & peculiare fructus non ex nostro ingenio, vt videtis, desumpti, sed ab ipsis Apostolorum principibus explicati, omnium autem temporum decursu exemplis comprobati.

Sic igitur rem totam concludamus; si ante septuaginta hos ipsos vel octoginta annos, hi tales fructus in Ecclesia Catholica exoriebantur, falsi erant Prophetæ illi, qui Christianam profitebantur doctrinam; Si autem tum in ea negligentia, quam
 & ipsi

& ipsi videmus, & isti tantoperè ac-
cusant, nihil horum orbem vexabat
Christianum: nunc autem istis duci-
bus, & ea tam diligenti Scriptura-
rum venditione, hi fructus, tan-
quam ex quadam Epimethei Pando-
ra promanant; quid aliud dicemus,
quàm maiores nostros parum qui-
dem illos diligentes & continentēs
homines fuisse, falsos tamen Prophe-
tas nequaquam appellari debere; hos
autem, prima quidem specie pieta-
tem & veritatem prætulisse; intus au-
tem lupos rapacissimos esse. Vultis-
nè vobis in meridie lucernam accen-
dam? si iudicatum erit in meridie
non lucere, hæc ita se non habent: si
autem hæc verissima sunt, quid am-
plius desideratis, in re præsertim tan-
ti periculi? Hi enim fructus, vitam sin-
gulorum perturbant, funestaque
labe inficiunt, Respublicas evertunt,
omnem autem pietatem & hone-
statem extinguunt. Eorum tamen
malorum satores vos suspicitis, ac
in delicijs habetis, in manibusque pla-
nè portatis vestris: horum vita, fortu-
na,

nã, tot confœderationibus, tot præ-
 sidijs legum, tot Sacramentis, apud
 vos ita testata & communita sunt; vt
 hæc, vel officina ipsa, extremaque cõ-
 ditionis homines, Regibus & Magi-
 stratibus insolenter obijcere, illisque
 suam impietatem tueri non verean-
 tur: parumque est quod non puniun-
 tur, sed aliunde etiam conquiruntur;
 sed publicis præmijs ac honoribus p-
 uocantur; sed in ore ipso Regum atq;
 Principum, ea semina malorum iace-
 re non erubescunt. Per similis hæc au-
 la est diuturnæ febrî, quæ nunquam
 ægrum deserit, nisi prius aliquod vi-
 tium, tanquam signum & monumen-
 tum sui, in ægro corpore reliquerit.
 Sic nos nusquam venimus, vbi non
 aliquas reliquias eius pestis & conta-
 gionis, inter eius loci & vrbis homi-
 nes relinquamus. Ac vereor, ne in
 hac ipsa ab ea labe, Dei munere, inte-
 gerrima vrbe, aliqua eius pestis semi-
 na relinquamus, quæ postea in simi-
 les erumpât fructus. Quæ omnia, cui
 malo? num verbo Dei? num veritati?
 nequaquam; hæc enim manent in æ-
 ter-

ternum: his nulla malicia humana aut abrogare, aut derogare potest quicquam. Num Ecclesiæ Dei, & Regno Christi? non item: Hæc enim est ^{1. Tim. 3.} columna & firmamentum veritatis, ædificata in firma petra; cōtra quam, ne portæ quidem inferi prævalere possunt. Cui igitur malo? Rebus publicis; quarum hoc exitium, hic certissimus est interitus: Regibus ac Principibus ipsis, quibus hæc omnia exedenda erunt, quæcunque isti diuini magistri intriuerint. Verùm dicet quis; hæc quidem de cæteris Sacramentariorū, Arrianorum, Anabaptistarum sectis verissimè dici: Augustanæ autem Cōfessionis nequaquam conuenire. Cæterùm, vultisne meum de Augustana, quod antea nunquam attuli, audire iudicium? paucis accipite. Spero enim vos id, quod ipsa res docet, approbaturus. Habet Augustana pelles, vellera, longè speciosiora, & ad fallendum magis accommodata, quàm reliqua hæc monstra hominum; fructus autem persimillimos. Solent Plagiarij, qui homines vel ex littoribus,
vel

vel ex oppidis furantur, cum ipsi illorum locorum hominibus suspecti sint, habere secum quosdam; vel ex illis ipsis oppidanis, vel saltem persimili habitu & vestitu ad ornatos; hos ex nauibus ad oppida vicina demittunt, vt familiaritate cum illius loci hominibus, atque adeo pueris ipsis inita, eos ex oppidis in solum locū ad littora, tanquam in ambulandi causa educunt. Quos vbi primū illi eduxerint, isti rapiunt: ac in naues coniectos, secum in medios fluctus asportāt. Plagiarijs sunt persimiles, ceteri heretici: Angustana ipsa, ex hoc genere hominū insidiosorum est; qui similitudine victus & habitus, homines ex tuto Ecclesiæ Catholicæ sinu, in littora, Piratis obnoxia deducunt; idq; propter eam similitudinē & vicinitatē, quā se cū Catholica ecclesia habere simulāt; qua in cautis & simplicibus hominib⁹ facilimè imponūt. Exaudire enim licet illas voces, eandem hanc religionem esse, iisdem principijs & fundamentis inniti: in cultu & cæremonijs nescio qd discrepare. Quos vbi semel

ex lo.

ex loco tuto eduxerit, hūc Sacramen-
tarius, illum Anabaptista, istum Ari-
anus, aut Trinitarius quispiam rapit;
cum eoq; in ipsos exitiosissimos cer-
tissimæ perditionis scopulos fugit.
Quem enim isti funesti Plagiarij ex
Augustanæ sinu non rapuerunt? quē
ista insidiosa Syren ex portu Ecclesia-
stico non eduxit? aut quis ex istis Au-
gustanam fidem à principio non erat
sequutus? Habetis veram, vt puto, Au-
gustanæ formam & imaginem; si hoc
idem res ipsa non docet, nolite crede-
re; si autem veritatem dico vobis, qua
re non creditis mihi? Attendite igitur
vobis à falsis Prophetis; sed maturè,
priusquam hoc incendium ita auge-
atur, vt postea nisi vestra ruina extrin-
gui nō possit. Deus miseriatur vestri,
& hoc tantum malum, quo tot Res-
pub florentissimæ perierunt, à vobis,
ceruicibusque vestris auertat.

A M E N.

DOCV.

DOCUMENTA VTI-
LIA PRO INSTRUCTIONE
PASTORVM, CIRCA EA QVAE AD
suum officium pertinent.

*Pastorale officium tria praecipue comple-
ctitur, Cognitionem, Custodiam, &
Pastum ouium.*

Ad cognitionem ouium
vtile fuerit.

Primùm, vt Pastor paret librum,
in cui⁹ primo capite nomina sin-
gulorum suorum subditorum per fa-
milias describat; annotatis artibus,
opificijs, negotijs, & exercitijs, qui-
bus quæq; familia vacat & intēta est.

In secundo capite eiusdem libri,
adnotabuntur nomina nascentium
& baptizatorum, vna cum nomini-
bus patris & matris: nec non suscep-
torum eorum, quos non admittet su-
pra duos; iuxta ordinationem sacro-
sancti Occumenici Concilij Triden-
tini. Annotabit etiam annum, men-
sem, & diem, collati Baptismi.

Expe-

Expedit quoq; annotare eos qui Sacramentum Confirmationis susceperint, præfixo signo ✠ aut alio simili id designante in margine vtriusque præcedentis Catalogi; nisi malit tertio capite constituto, singulos seorsum annotare.

Singulari diligentia vtetur pastor, in annotandis ijs qui in festo Paschæ cōfessi fuerint, & communicauerint; iuxta salutarem Ecclesiæ institutionē quotannis: signo aliquo prænotato ijs, seu eorum nominibus, qui hæc neglexerint; aut si malit, seorsum eos annotando: vt dispiciat, quid circa illos facti opus sit.

Annotabit quoque in alio capite, nomina eorum quos matrimonio coniunget: & aliquot principalium testium qui adfuerint: necnon tempus dictæ coniunctionis.

Item, Exterorum aliunde aduentium, magnam (hoc præsertim turbulento & calamitoso tempore) conueniet habere rationem.

Vtiliter etiam faciet, si nomina annotet ex hac vita decedentium, vel a-

T lias

lias sua Parochia abscedentium, cum temporis huius decessus aut abscessus designatione.

Deinde, publicos peccatores, ac publica peccata, quibus in vita aut doctrina delinquitur. Ad hæc scandala, & occasiones peccatorum ex deprauata aliqua consuetudine apud suos vigente, velut sunt ludi, choreæ, comotationes, & alia id genus, quibus iuuentus vacare solet, & quidem temporibus quibus minimè cōgruit, hoc est, Dominicis & festis, interdum etiam dum diuina officia in Ecclesijs peraguntur, studeat pastor habere cognita.

Item, Mores singulorum & vitia; eorum quoque causas & occasiones, deprauatas inclinationes. Et si quæ sint inter aliquos inimicitia & dissidia, partim ex vicinis, partim ex communi & familiari conuersatione, cognoscere studebit.

Quæ item ad corpus & res subditorum pertinent, non sint illi ignota; vt si qui corpore infirmi, si pauperes, orphani, viduæ, si qui auxilio destituti, aut

ti, aut calumniam sustinentes, aut iniuste per ditiorum potentiã oppressi.

Demum diligenter obseruet, si qui à iure vel ab homine excommunicati, & à communicatione fidelium separati, & super omnia (quod hoc tẽpore admodum necessarium est) si qui in suo grege existant hæretica ptauitate infecti, aut de ea suspecti, vel diffamati. Item, quos libros quisque habeat, sicubi habeantur suspecta cõuenticula.

De custodia ouium, & ijs quæ ad eam pertinent.

Boni ac diligentis pastoris fuerit, præscriptis malis pro viribus occurrere. In primis autem ijs, quæ puritatem & simplicitatem Christianæ & Catholicæ doctrinæ corrumpunt, hæresibus dico: quas per suos ministros Satanas disseminat, perniciosissimum subinde libellis ad hoc vtēs, & alijs suæ verusutia diuersis artibus.

Eiusmodi homines, quos metuet dicta labe infectos, primum seorsim admonebit, & quoad poterit, ad viã

T a veri-

veritatis, & ecclesiæ gremiū reducere
studebit, iuxta regulas fraternę corre-
ptionis. Si hac via nihil se proficere de-
prehēderit, superioribus denūciabit.

Libros subditorum, pastor sibi ex-
hiberi curabit, & si quos ex illis depre-
henderit Hæreticos, aut de hæresi su-
spectos, vel alios pietati seu morum
honestati inutiles, cæteris qui boni
deprehēsi fuerint redditis, hos exuret
aut visitandos dominis inquisitorib⁹
mittet; vna cū illis, de quibus dubita-
bit boni ne sint an mali, vt aut de eius-
modi libris pastor facilius iudicare
queat, conueniet eū habere indicē li-
brorū, authoritate Apostolica ꝑhibi-
torū, à deputatis S. Conci. Trid. editū.

Deinde, quæ in moribus peccātur,
siquidē publica sunt, publicè venient
arguēda, similiter occasiones eiusmo-
di peccatorum. Qua admonitione &
correctione si nihil promouerit, im-
ploret superiorum patrociniū.

In primis autem, sollicitus intendit
pastor, circa ea vitia corrigenda & ex-
tirpanda, quæ ex longa & inueterata
consuetudine sunt apud suos magis
fami-

familiaria: vt sunt plerunque iuramēta, dæmonū inuocationes, malæ imprecationes, iurgia, rixæ, pugnæ, fraudes multiplices in contractibus.

Solicitus etiã erit, diffidia, si quæ inter suos nata nouerit, (subtracta prolixarum litiū materia, quibus se inuicē perdere solent) sopire; & sua, ac aliorū bonorum virorū intercessione, dissidentes ad amicabilem cōcordiã reuocare: & excōmunicatos, vt Ecclesiæ reconcilientur, admonere.

Diligens quoq; cura adhibenda est, circa institutionem iuuentutis; tū in litetis, tum in Christianis morib⁹; curabit proinde pastor cum magistratu loci, vt ludimagister habeatur prob⁹, & diligens, & censura ad examen deputatorum approbatus, qui hęc ætatem in modestia & pietate instruat, ac fidei rudimentis, eosdē docens reuerētes & deuotos esse in Ecclesia, domi parentibus obsequētes, ac omni loco verecūdos, modestos, & honestos.

Externū neminē recipiat pastor in gregem suum, nisi qui à fide dignis testimonium authenticum exhibue-

rit suæ probæ ac inprimis Catholicæ vitæ, & conuersationis: & siquidē mulierem comitē habeat, diligenter inuestiget, sua nē vxor sit legitima, an scortum, vel concubina.

Si quis per carnis lapsum puellam dehonestauerit, curet pastor, vt ille, si liber sit, eam in vxorem ducat, vel eā dotet; aut honesta aliqua ratione, ipsius, ac parentum eius, animū captet: alioquin à cōmunionē arceatur. Et nisi puella deflorata pro reparatione sui honoris prior agat, p̄ magistratum in eū animaduertatur.

Si quis à cōmunionē fidelium vitæ & conuersatione discrepet, & se abstinendo ab Ecclesiæ frequentatione, aut diuinis officijs, vel Sacramētis Ecclesiasticis, aut per contemptū Ecclesiasticarum constitutionū, vel sacramentorum ceremoniarum, de Hæresi suspectū reddat: admoneatur iuxta normam fraternæ correptionis; & si non corrigatur, Episcopo denunciatur.

*De duplici pastu ouium, ad animam
& corpus spectante.*

Anima.

Animarum pastus, in doctrina p-
fitus est, Sacramentorum admi-
nistratiōe, & sacrificiorum oblatio-
tione, necnon exemplo bonæ vitæ.

Ad doctrinæ curam pertinet, vt o-
mnes pro diuersitate ætatis, ingenij,
status, ac conditionis, & occurrentiū
rerum necessitate, instruātur; in quo,
primum locum obtinere debet Ca-
techismus: quo prima rudimenta fi-
dei, & pietatis Christianæ, pueris & ru-
dib⁹ diligēter & dilucidè explicētur.

Instruendi sunt parentes, domini,
mariti, de cura inferiorum, & subdi-
torum; filij quoque, & inferiores, ad-
monendi sunt, ad obleruantiam & o-
bedientiam maioribus præstandam.
Coniugati, vel contrahere volentes,
docendi sunt de sacramēto Matrimo-
nij, & legitimo eius vsu ac fine.

Per Pastorem sæpius populo publi-
canda est cōstitutio Sacrosancti Cō-
cilij Tridentini, qua decernuntur ma-
trimonia clandestina: hoc est, quæ a-
liter quam præsentē parochō, vel
alio Sacerdote, de ipsius parochi, seu
ordinarij, licentia, & duobus vel

abus testibus contrahuntur, esse nul-
 la & irrita: & si qui hoc modo coniū-
 cti inueniuntur, ij vel separandi sunt,
 vel legitimè, modo in dicto Cōcilio
 præscripto, coniungendi: quod si ho-
 rum neutrum ab ijs obtine^{re} potest,
 erunt superioribus denunciādi; quo-
 rum authoritate compellantur.

Agricolaë, mercatores, cæteri que ar-
 tifices, omnes instituendi, quomodo
 quisq; in exercitio suæ artis iustè ver-
 setur; vt neque Deum offendat; neq;
 proximo aliquam iniuriam inferat.
 Breuiter curandum, vt nulli desit sa-
 lutaris, & suo statui conueniens do-
 ctrina: siue diues, siue pauper, siue in-
 firmus siue sanus, siue tristis & deso-
 latus, siue in prosperitate vitam agat.
 De qua diuersitate, & qua circumspe-
 ctione oporteat cum vnoquoque a-
 gere, pulchrè inter alios docet diuus
 Gregorius in suo pastoralis.

Porro, quæ cōmunia sunt omnib⁹,
 frequenter sunt proponenda & incul-
 canda: videlicet de timore Dei, de cu-
 stodia mandatorum eius, de memo-
 ria nouissimorum, de frequentandis
 Sacra-

Sacramentis pœnitentiæ & stitæ; de operibus pietatis & mediæ, de cauendo luxu & immo-
tione in stitu & conuiujs.

Aduersus odia, contumelias, diffamationes, detractiones, rixas, iurgia, dissidia, pugnas, iuramēta illicita, dæmonum inuocationes, malas imprecationes, fraudes & dolos, iniquas machinationes, & reliqua vitia, strenuè & absque vlla dissimulatione clamandum est; & vt tandem extirpentur, totis viribus (prudenter tamen & discretè) laborandum est: & præsertim ea, quæ quisq; nouit apud suos familiariora, & magis vsitata atq; radicata.

Docere quoque debet pastor, utilitatem & necessitatem crebræ orationis, diligentis frequentationis Ecclesiæ ad doctrinam, Missæ Sacrificium, & alia officia Ecclesiastica audienda; & quo pacto se in illis populus gerere debeat. Mysteria quoque Missæ, & quid in ea agatur, vtile fuerit populo subinde explicare.

Sacramentorum quoque virtus & vsus, erunt sedulò populo explicanda:

lias oportunitate habita, tū
 rum administratione, iuxta
 nulam in libris ad hoc editis præ-
 scriptam, quam ex eis legere poterūt,
 quibus deerit gratia ex tēpore ea me-
 moriter proponendi; sic nec, ut popu-
 lus ad frequētius & reuerētius ea sus-
 cipiēda excitetur, deuotiusq; illis dū
 administrabuntur assistat. Operę pre-
 cium quoque erit explicare vim & si-
 gnificationem cæremoniarum, qua-
 rum vsus est in illis administrandis.

Postremo, non modo verbo, verū
 in primis incontaminatę vitę exem-
 plo, debet pastor gregē suū pascere: so-
 licitē curādo, vt pietas, religio, hone-
 stas, affabilitas, patiētia, hospitalitas,
 sobrietas, castitas, omniumq; rerum
 moderatio, ac cęterę virtutes, ad quas
 alios hortatur, in ipso eluceant, sic vt
 ex inspecta ipsius vita, discant subditi
 quomodo debeant formare suam.

Non debet præterea pastor pro ra-
 tione facultatum suarum, pauperum
 curam negligere; sed corporali illorū
 indigentię, tum per se, tum per alios
 ditiores, quos ad hæc publicē & priua-
 tim

tim incitet & sollicitet, sub
 virginibus, pauperibus orp-
 huius infirmis, sit ipsa necessitas
 sic peccati, & tentationi in-
 cur.

Inter omnia, nihil æquè putamus
 esse necessarium, atq; assiduam, tū p
 se, tum pro suis orationē, ac sacrosan-
 cti Missæ Sacrificij crebrā & deuotam
 oblationem: sunt. n. sacerdotes, & in-
 primis pastores animarum ad hoc ex
 hominibus assumpti, & pro homini-
 bus constituti, in his quæ sunt ad De-
 um; vt pro suis, & ipsorum peccatis,
 offerant Deo Patri hoc præclarum
 donum & Sacrificium.

Deum, temporalium bonorum ad
 suum pastorum spectantium, cura
 ad ipsum pertinet: tum ex suscepto
 officio, tum ex iuramento in sua in-
 stitutione præstito. Vnde cōueniet li-
 brū parari authenticū, in quo census,
 redditus, ac vniuersa bona ad suā eccle-
 siā pertinentia, quotannis ascribet,
 ac solutiones eorundem. Caueat autē
 nequicquam corū (nisi pro euidendi
 vtilitate Ecclesiæ, & cum consensu

n) salienet, verum deperdi-
bus recuperare studeat.

brica quoque, ac iuramentis &
mensæ Altaris, solertem curam acci-
piet; curabitque quotannis ea
administratores, rationes reddi: si
quas legales inuenerit, in signum ap-
probationis subsignabit.

Ornamentorum quoque Ecclesia-
sticorum, ac vasorum sacrorum; eo-
rum imprimis, quæ ad asseruanda ac
ministranda Sacramenta sunt neces-
saria, curam ad se pertinere intelliget;
vt hæc sint integra, honesta, munda,
ac nitida: mundicia enim & decor ex-
ternus, præterquam quod per se do-
mum Dei decet, deuotionē excitat,
& reuerentiam, tum populi, tum ip-
sorum ministrorum Dei: & negligē-
tia circa hæc testis est animi; parum
erga cultum & reuerētiam, quæ Deo
& ipsius Sacramentis debētur, affecti.

Simili quoque ratione, circa reli-
quias & imagines Sanctorum adui-
gilabitur, vt eæ mundæ & decenter
habeantur.

Libri quoque cantuales, & cæteri
quo-

PASTOR

quorum est vsus in
cantandis, aut legendis, aut
tis in rebus necessarij, habe
endente pastore, per cultu
er & accuratè asseruētur.

structu
ipsa sit
ornat.

conclua
pccribu
ie plerit
seu pot
cœmitem
ra, vt
fini.

et ut circa ecclesie
is sit defectus: vt que
nitida, & decenter
quoque cœmiterium
vt non pateat ingressus
probanda est enim, que
ocis regnat consuetudo,
corruptela, vt pecora in
sepascantur, etiam sordidio
porci, boues, vaccæ, equi, a-

Ex his omnibus diligenter
expendat, facile pastor quisq; animad-
uertet, quam sit operosum iuum of-
ficium, quamque & quam conti-
nuam requirat vigilantiam, curam,
& sollicitudinem quodq; pastori mi-
nimè satis sit, horas canonicas lege-
re, Missam celebrare. Sacramenta mi-
nistrare diebus Dominicis, aut etiam
festis, Euangelij occurrentis exposi-
tionem populo suo proponere, ex iis

alia requiri, ita vt
 tempore & superque futurū
 in quo pro gregis sui
 ter occupetur, vel or
 legendo, vel agendo, v
 rus sit meditando: v
 gitur, quam sancte à
 dentino decretum
 personale Pastorum
 ni, nec pastorem sine
 (cessantibus legitimis c
 suo grege abesse.

Ex iisdem instruuntur I
 per quibus fiat, seu fieri de
 fitio, in visitatione suar
 rum, si quando illam per
 vel Archidiaconum, teu eo
 carios, fieri continget; &
 poterunt dictis visitator
 dere, & satisfacere, si promissa strenu
 nuè præstare studeant vt
 præter duplicem honore, quo in hac
 vita digni sunt, qui bonè præsent presb
 byteri, in verbo, & doctrina laboran
 tes, post huius vitæ ergastulum
 vitæ æternæ in marcessi
 em coram.


NIS.


epu
 inu
 entia
 diu
 m, scato
 sis) im
 le
 a

Ep
 m
 P


A+

Statu









B. 410-411